




~~D. III 25.~~
D. III

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

IV A 10.

SIGNAT. MDCCCXIII.



ARISTOTELES
EX ORCO REDIVIVUS,

AT HEU!

RECIDIVVS IN ORCVM.

A

MELCHIORE CORNÆO Lojolita
Herbipolitano imprudenter æquè ac im-
pudenter productus.

DIALOGUS SECUNDUS,

QUEM

DEO TER OPT: MAX: AVSPICE

Sub Præsidio

JOHAN. CONRADI DANNHAWERI,
SS. Theologiæ Doctoris ac Professoris, Patroni,
ac Præceptoris plurimum
Venerandi,

*SOLENNI Disquisitioni
subjiciet*

M. JOHANNES WESSERER
AUGUSTANUS.

*Die 30. Septembr. Tempore
Locoq₃ solitis.*

ARGENTORATI,

Typis JOHAN - HENRICI MITTELI,

M. DC. LIV.

V I R O

*Plurimum Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo
maximèq; Spectabili*

DN. JOHANNI SCHMIDIO S.S. Theolog.
Doctori ac Professore, Convent. Eccles. Præ-
sidi, Capituli Thomani Præpos. h. t. Facultatis
Theolog. Decano,

Patrono Promotori ac Præceptori jugiter
Venerando

Ut et

*Viris Prudentiâ, Gravitate, Amplitudine, Usurerum, Virtutisq;
Præconio conspicuis laudatissimisq;*

DN. MARCO ANTHONIO Zenisch/ Au-
gustan. Reipubl. Consuli.

DN. JOHANNI LUDOVICO Berckenmeier.

DN. MARCO ANTHONIO Zenisch Juniori.

Patronis itidem ac Fautoribus mille bene-
ficiis de me meritis, In signum

Animi Obsequentis, Grati, atq; obstricti

Solenne hoc exercitium D.D.Q.

M. JOHANN. WESSERER
Respondens.

SYLLOGE
Controversiarum in secundo Dia-
logo tractatarum, de quibus in solenni
disputatione respondebitur.

I.

Strictè duo tantum Sacramenta & in sacris Literis & puriori Anti-
quitate reperiuntur. p. 5. med.

II.

Papæa Calicis ereptio Sacrilegium est, p. 6. m.

III.

Idem Calicis sacrilegium non duntaxat nuda mutilatio, sed &
sublatio est sacramenti p. 11. pr.

IV.

Multis absurditatibus scatet, Concomitantia illa papæi spiritus
Helena. p. 14. m.

V.

Verba *Bibite ex hoc omnes* sunt omnino præceptiva p. 17. seqq.

VI.

Bibitio in S. Cœna non tantum pars integralis sed etiam Essentialis
est, p. 29. m.

VII.

Hypothesis annexa præcepto sacramentali: *Quotiescunq; bi-*
beritis, &c. non suspendit actum sed potius intendit & accendit, p. 37. ini.

VIII.

Præcepti de communione sub utraq; in antiquitate nec mentio-
nem nec observationem inveniri falsissimum est, p. 40. fin.

IX. Papæ

X.

Papæ Gelasii verba pag. 46. init. non solos detegendos Manichæos respiciunt; sed omnes sacri calicis usum interdicientes sacrilegii poscunt.

X.

Male veterum abusus contra præceptum divinum allegantur. p. 49.

XI.

Sciremus verba (Bibite ex hoc omnes) esse Christi si vel Lutherus nunquam natus, vel omnes Papæ fuissent muti, p. 51. in.

XII.

Apostolicos spiritus jactant Jesuitæ, nihil minus quam Apostolici. p. 53. f.

XIII.

Non è tormentis, sed ex causa tormentorum & cruciatuum æstimandi Martyres. p. 56. init.

XIV.

Ad Indos excurrere Religionis causa non debuerunt nec potuerunt nostri, p. 58. init.

XV.

Pseudo - Aristoteles quia pro vera falsam fidem amplexus; iterum in orcum, inde nunquam reversurus, ablegatur. p. 65. m.



ARISTOTELIS EX ORCO REDIVIVI,
IN ORCUM RECIDIVI

DIALOGUS SECUNDUS

Synaëticus.

ORECANUS, ARISTOTELES, VERAUDANUS.



RECANUS. Est non procul Moguntia locus insigni amœnitate conspicuus &c. vide cætera supra in Aristotelis redivivi parte alterâ, de communione sub utraq; c. I. p. I. &c.

VERAUD. Nimis magna porta ad urbem tam angustam per nebulas Heliconias! Cavete cives, ne urbs è portâ elabatur. Quàm diffluit hîc Symposi-histor verbis inanibus, & multi instar, quo inflatus, nondum despumatâ fervoris rabie, lagunculas diffringit? quàm argutè glocitat hæc gallina, nec ovum enititur! quàm facetè ludit hîc dipno - Sophista Polymythus, in re omnium tenerrimâ, religione & religionis nucleo, sacramento cœnæ? scilicet non poterat de augustissimo sanctissimoq; epulo religiosè disserere, nisi Lerochares logis illud scurrilibus auspicaretur, condiret calumniis, finiret naniis. Non poterat ventosus Alazon partes catholicas feliciter tueri, nisi personatum Aristotelem Andabatam Melitide stultiorum Phœbi, morodomio si quisquam, dignissimum in arenam reproduceret, malè pridem præliati prælii Refugam, vitilitigatorem prodigiosè rudem, ad myrtum cantaturientem; & tamen (ô frontem!) hujusmodi sophum, qui perspicua credibilitatis motiva uni Romano-catholicæ fidei, atq; Ecclesiæ propria, brevi & claro orationis genere mortalium oculis mentibusq; subjecerit. Sed vir ille victus denuò pugnabit, meliùs fortè animatus, quàm paratus. Nondum hujus diei sol occidit; vespera autem monstrabit, cui lector victoriam gratulari debeat? Infausta profectò sunt omnia illa dedicationis prologia! Epiniciu

num ante victoriam, de partium catholicarum tuitione tam perspicuam ac evidenti, ut nemini hominum, qui rationem ac verum equi animi iudicium adhibere voluerit, ullum superesse dubium queat. deinde mirum illud infani Mirionis, qui non aliis, quam sacræ pagine armis pugnat, ab his ipsis inermis; Adversarium conficit ac debellat, nullum in toto dialogo ex illo armamentario gladiū distringens cui condixit, miror credi huiusmodi Romani nominis Mystæ, qui nullum, ne in latere quidem, quod acu punctum videri possit, vulnusculum ostendere queat, & tamen gladiatorios ictus jactanti. Tum hyperbole meiotica de nullo vestigio in S. literis extante pro divino præcepto geminæ speciei ab omnibus fidelibus usurpanda. Nimis stupet hic molossus rheumaticus, gravedinosus. Ego tametsi ipsissimi illius Stagiritæ sophos in lipsanis ac monumentis ejusdē adhuc vividum, me Juvenem olim unicè adamasse, pro viribus coluisse, alumnis Philosophiæ instillasse, nec omne adhuc gurgite lethæo (perinde ac larvato huic accidit) suffocasse haut diffitear; nec ejusdem interpretes, tractatores, enarratores è Scholis Thomæ Scotivæ tanquam Trojano equo proficientes aspernatus sim, quin (ut Ennius aurum, unde? nosti) legerim, ac sæpe læpius miserrimi Peripatetici fata post obitum deplorarim, raptati sc. in partes, ac eheu! præhensantium manibus prope discerpti: nusquam pejùs habiti, quàm in Regno Romano-Papæo, ubi ejus libri (α) in ro-

(α) Davidis Dinantii libri damnati sunt & exusti; apud Spond. ann. 1207. n. 18. quod prædictis hæresibus causam dedisse viderentur subtiles quædam quæstiones librorum Aristotelis de naturali Philosophia, seu metaphysicâ, recens in Galliam Constantinopoli delatorum; æquè iidem libelli in Provinciali Concilio Parisiis contra emergentes easdem hæreses celebrato, jussi sunt comburi, & sub anathemate prohibiti.

gum missi igne sunt illuminati; à nullo magis deserti, quàm Jesuitis ac nominatim (β) Bellarmino sceptico magis & Pyrrhonio quàm Peripa-

(β) En formulas 1. circa vulgatam versionem l. 2. De V. d. c. 9 §. Tertia Probabile est c. 10. §. secundum. alternativam ponit. Vel, vel, & hæret. c. 14. §. primus. Verisimilius est. c. 15. §. septimò. Videtur. lib. 4. c. 3. §. 1. non continetur *expresse*. l. 1. de R. P. c. 9. §. quo circa. vix. c. 16. §. Resp. imprimis. Credendum: c. 16. §. est. Ferè. c. 16. §. Vnus. non est certum. c. 27. §. Iam. Credibile. lib. 2. de R. P. c. 12. §. observandum. Fortè. quod §. sequenti iterum repetitur. Fortè non sit de jure divino &c. & §. ex quo & c. 25. §. ult. c. 27. §. Respondeo de. Si vera sunt. c. 30. §. 2. sententiæ. Probabilis. lib. 4. de R. P. c. 4. §. ad secundum quod non sit omnino de fide, §. quod nihilominus tam pia & probabilissima. §. quarta. Valde probabile. c. 5. §. ac non est absurdum posse fieri c. 6. §. 1. Videtur. c. 11. §. ad primum. Fortasse. §. Dices. opinio probabilis, quamvis contraria nobis & videatur probabilior. c. 14. §. Resp. nec solum opiniones. l. 5. c. 9. §. neq; pleriq; l. 1. de conc. c. 11. §. sic. Videtur. c. 14. §. ad primum. Credibile est. c. 20. §. quod
Arbi.

Arbitror lib. 2. de Conc. c. 7. Resp. prim. Fortè. c. 8. §. Resp. hæc. *Videtur*. §. Resp. prim. *fortasse*. c. 13. §. deind. *questio super est*, c. 17. §. 1. *ferè de fide*. §. adhuc. non de finisse tanquam de fide. ibid. *dubium est*. Forte. 3. de Eccl. c. 4. §. at. Fortasse c. 10. § 1. ibid. Conjecturalis. §. sed neutra. Forte c. 17. §. quod non est probabile. ibid. non est credibile. c. 6. §. nunc. Interdum l. 4. de not. Eccl. c. 3. §. non quidem efficiunt evidenter verum ; efficiunt tamen evidenter credibile. 3. Fieri non potest, ut unus sit totius Orbis Vicarius.

tetoco : Animadverterim deniq; tecum totam summæ Angelicæ absonis in Philosophiâ opinionibus refertam molem , incumbere Aristotelis & Augustini nominibus; velit geminis columnis , quibus inclinatis Simlon totam domum Philistæotum in ruinam dedit : Tamen is tu Stagirita non es , qui cum in tenebris micare velim , jam dum in priori dialogo es depræhensus , in quô tam te Aristoteli græcanico illi similem ostendisti , quàm est carbo nivi ; ac ideò indigum ἐορτήν Ἀριστοτελεία à stagiritis olim celebratâ , apud Ammonium in Aristotelis vitâ. Si enim esses ille ὁ αὐτὸς , oleret testa ingenii tui (dicam cum (γ) Hieronymo) quo semel fuisset imbuta ; lanarum conchyliæ nullæ aquæ diluunt : etiam asini & bruta animalia , quamvis in longo itinere , noverunt secundò diverticula. Nunc quia te philtro babilonico fascinatam reperio , qui omnem sanam rationem abdicaris ac ejuraris libertatem sentiendi , arctiorem necessitudinem deprecari licebit. Ignoscet interea Cyrillus , si hodie ejus coenulæ , plus betæ habentis quàm salis , condicere non possum ! vereor enim , ne victus (sit licet , uti pollicetur , sine venatu multaq; cæde & sanguine) scruposam commeet viam , ac in edendo mihi calcæatis sit dentibus opus : ne convivium convitiis infame sales aspergat dentatos & Scyticum magis evadat , quàm (quale Athenæus dipno-Poëta laudavit) philosophico lepore hilarescat ; adde , quòd me nunc , dum hæc scribo , tuendæ valetudinis gratiâ acidularia naturæ officina detineat ac αἶνον μέδην propinet. Non tamen omninò defugiam laceffitum , temporis alioquin parcus , hoc contentionis genus , & quod coràm ore non possum , calamo conabor , totam quam struxisti struem in ruta cæsa facillè daturus. Qui pessimè canit primus incipiat.

(γ)
Apolog.
adv. Rufin.
p. m. 208.

ARISTOTEL. *Sum Christianus, sum Papista & ex asse totus quidem. ita quidem, ut ne Papa quidem me magis Papista fiet. Ecquid enim per Deum immortalem est, quod me à fide Romano-catholica deflectere unquam possit ?*
VERAUD. Non unicum illud est, quod te avertere possit erroris monstrum, sed monstrorum ilias ; è multis unicum duntaxat & verè capitalem nodum afferam (in quo tuo duci dipno - sophistæ placuit in præsens



occupari, ac me opponentem inducere, quô id astu, ostensum est alibi; quem si non dissecâris (quod Alexandro facile fuit sed) dissueris, Alexandro Magno major habebere. **ARIST.** Quod opere pretium à te auferam, si nodum, quem tu jactas, eodem saxo. Scilicet una mecum Papista eris? quid frontem nubilam crispas? aut quid animo cohorrescis? Age sis. **VERAUD.** Appromitterem, si non unum alterumve, sed omnes nodos, quibus tui tententur, dissuere posses! Sed hoc tuorum est sophisma, excerpere unam in quâ paratragœdientur, partem; totum non tangere; haberet in aliis ubi vires experiatur Orecanus. Sed hæc cerasa sunt nimis acida! Interea utiliter accipio quod dedisti, te si extricare te non possis si ratione te & argumenti mei evidentiam convincero, nullam deinde causam dicturum quin tibi apud me religionis & fidei tuæ deliquio fiet, & ex Papista Lutheranus fias. **ARIST.** Ita, ita, si ratione quidem convincas. **VERAUD.** Primum quaero ex te Aristoteles, annon fateare, te ex dogmate Romano-catholico sacramentum corporis & sanguinis Domini una tantum panis sacri specie sumere? **ARIST.** Fateor. **VERAUD.** Idque non equidem Christi sed unius Ecclesie vestre jussu atque precepto? **ARIST.** Ita. **VERAUD.** Atqui hæc res est, Aristoteles, quæ innumeram hominum Dei timentium, multitudinem, à cœtu Romano-catholico, ita avertit, ut moriri mavelint, quam eidem se adjungere. **ARIST.** Quid ita? **VERAUD.** Quæris? Ecquis enim hominum homo, cui mica sanguinis pii & Christiani in venis fiet, istud æquo animo ferat? quis sacramenti integritatem truncari? quis institutionem servatoris nostri frustratui haberi? quis testamentum ultimamque IESU CHRISTI voluntatem revelli? quis sanguinem ejus divino codi cillo legatum sibi eripi patiatur? ô sacrilegum Phalarismum! ô impiam crudelitatem! ô plusquam Titaniam & gigantæam in superos rebellionem! Si fortunas nostras Papa impeteret si domos eriperet si lares patrios spoliaret, si conjuges liberosque in vincula posceret, si in vitam libertatemque invaderet, si corpora omni atrocitatis genere vexaret, si cruorem nostrum è venis, diro cum cruciatu, exsugere moliretur, ferenda fortasse alicui videri posset injuria, nunc vero cum animorum nostrorum latrocinium exerceat, cum sacramentorum religionem violet, cum gratiæ divinæ fontes obturet, cum supremas Christi Domini tabulas violet, cum testamentum corrumpat, cum sanguinem ejusdem fideli populo suffuretur, quis non toto pectore illum illiusque cœtum execretur? **ARIST.** Inclemens tu pol in Papam Rhetor & male es dicax. **VERAUD.** Quem verò hîc feris per mecum latus? annon Papam Gelasium? de quo paulò inferius. annon (♯) Petrum à Soto, Procudubio, ait ille, omnis violatio sacramenti grave sacrilegium est, & peccatum mortale, violatur vero sacramentum quum non servatur institutio ipsa & signi-

(♯)
Lect. 10. de
Euchar.

significatio integra. Nam quæ major violatiorei instituta à Christo quam quum
 partes ex quibus ille ipsam constare voluit auferuntur? ut si in baptismo deesset aqua,
 aut in confirmatione Chrisma, nonne perinde est, ac si ab homine auferretur corpus?
 quod ille de sacrificii celebratione sentit, verius multò est de sacramenti
 participatione, hanc enim institutam liquidò constat, non item illam.
 ARIST. Vos Papam furti sacrilegum agitis, at multò ille justius r. edican-
 tes vestros furti & peculatus religiosi reos facit. Quod si enim Papa latro est,
 quod unam sacramenti speciem sustulit, quanti vos latrones estis, qui tota Sacra-
 menta & plura quidem populo fideli eripuistis? Nam quod ad præsens Synaxios
 mysterium attinet, speciem equidem utramq; porgitis, sed corporis & sanguinis
 Christi tam vacuum, quam vacuum ignis est mare. Scilicet nucleum populo ab-
 stulistis, & putamina pignori reliquistis. Tum deinde Chrisma & confirmationem,
 & Pœnitentiam, & Ordinem & Matrimonium & Extremam unctionem, quæ o-
 mnia cana majorum nostrorum pietas atq; religio pro sacramentis habuit, & po-
 pulo imperavit, vos ausu sacrilego temerastis, repulistis. An non vos ergo sex-
 tuplo quam Papa, majores fures estis, qui sex omnino sacramenta cœtui Christia-
 no clepsistis? VERAUD. Horribilis dica si vera! Tu nisi personatus esses
 Aristoteles cogitares privationem supponere habitum; nec amittere
 cornua potuisse nisi qui habuerit. populus verè ac sincerè ad legem mo-
 remq; antiquissimorum fidelium, quinq; istas sacramentorum mantillas
 non habuit non agnovit, sed prædamnavit. quoties ante Lombardum
 de Sacramentis in genere Sanctis Patribus occurrit occasio aliquid dicen-
 di, duo semper, tanquam certissima & liquidissima Sacramenta nomi-
 nabant; reliqua sub dubio, & incertitudine relinquebant, quia strictè
 non nisi duo in S. literis inveniebant; Sacramentorum tantum duorum,
 plurium non meminit Tertul. 4. ad vers. Marc. juxta numerum aque
 & sanguinis, quæ è vulnere crucifixi emanarunt; proinde ut nos faceret aqua vo-
 catos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit; quia
 qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur: & qui aqua lavissent in ba-
 ptismo, etiam sanguinem potarent in Eucharistia, l. de baptismo. c. 16. Ambro-
 sius sane duos justos tractatus scripsit de Sacramentis. Alterum de iis,
 qui mysteriis inicianur; alterum de Sacramentis inscripsit. Percurrat
 qui vult utrumq; non alia nisi duo Sacramenta inveniet, alterum bap-
 tismi, alterum Eucharistiæ, & tamen saltem in libro de Sacramentis, certe
 occasio tractationis ad illa sola duo non arètabatur, sed omnium verorum
 Sacramentorum notitiam postulabat. Non ergò censuit Ambrosius ve-
 ra Sacramenta alia esse, nisi illa duo. Augustinus similiter, ubi ei occasio

se præbuit Sacramenta in genere commorandi, duorum nominatim fecit mentionem, quippe quæ propriè & strictè agnoscebat esse citra dubitationem Sacramenta: Baptismum & communionem corporis Christi: reliqua multa sub dubio ponit, in quibus perfectam perfecti Sacramenti naturam non cernebat, ep. 118. *Vnde Sacramentis, inquit; numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit. Sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur. nec plurium quam duorum meminit Cyrillus in Catech.*

Illud quod addis de vacuo corporis & sanguinis Christi in pane & vino porrectis, tui est spiritus dicerium, qui cum mendacia loquitur ex proprio loquitur. Tu vero phreneticâ facilitate doctior es jacere convicia quam solvere argumenta.

Repeto argumentum quod pro sacrilegio calicis illius preciosissimi, ex quo Joseph noster cœlestis discipulis suis ac nobis omnibus præbuit, demonstrando alibi est propositum: *Omne sacra rei furtum est sacrilegium.* Furtum enim est contrectatio dolosa rei alienæ invito Domino tuo, ad proprietatem ejus aut possessionem aut usum acquirendum Navarr, cap. 17. pag. 25. Sic & peculatus est boni communis ac eatenus alieni in oppositione ad proprium surreptio. Sic res sacra, inquit Layman. Sive ad Dei cultum specialiter deputata, si v. g. sacratus calix vel reliquiæ sanctorum furriantur, sacrilegium est, ib. n. 17. ad summum sacrilegium est rei alienæ (seu quia communis seu quia alii propria) acceptio dolosa invito Domino, seu proprietario seu usufructuario ad proprietatem accipiendam. *At hujusmodi est Papæ illa calicis, hoc est vini consecrati cum sanguine Christi uniti, consequenter non solum sanguinis Christi sed & totius sacramenti boni scilicet communis & Sacrosancti ereptio, facta Laicis ad proprietatem statui clericali asserendam, invito Domino Christo & Ecclesiâ usufructuariâ.* Vini consecrati inquam, cum sanguine Christi uniti, consequenter sanguinis Christi omnisq; illius fructus gratiosi quem & Laicus haurire poterat è potu sanguinis, principalis ille sit an minus principalis ad sacrilegii categoriam nihil interest, intersit licet, ad gradum sacrilegii. neq; à furto immunis est qui è mumiâ solum digitum decerpit, relinquat licet caput in suo statu locoq;.

Audiatur de hoc fructu gratioso buccina cardinalitia Cardinalis de Lugo disp. 12. de sacram. Euchar. sect. 3. n. 68. & seqq. *Concilium Tridentinum quoad fructum attinet, nulla gratia necessariâ ad salutem eos defraudari, qui*
unam

unam speciem solam accipiunt; non dixit absolute, nulla gratia, sed nulla gratia ne-
 cessaria ad salutem, quia noluit negare, aliquam novam gratiam conferri per cali-
 cem sed dixit, non privari communicantem sub una specie aliqua gratia necessariâ
 ad salutem; quia per sumptionem unius speciei impletur sufficienter præceptum de
 sumenda Eucharistiâ, cujus impletio necessaria est ad salutem; & quia per sin-
 gulas species seorsim datur gratia nutrimentalis; que sola necessaria est ad salu-
 tem, non necessitate strictâ, sed quadam necessitate morali: Detur hic ratio
 cur magis necessaria sit gratia cibativa quam potativa! nutrimentalis
 quam medicinalis? Objicienti, si quælibet species continet quod utraq; simul,
 nempe carnem & sanguinem Christi, & quælibet reficit causando eandem grati-
 am nutritivam, & extinguendo famem, & sitim anime, fames enim, & sitis spi-
 ritualis non differunt, nec diverso modo extinguuntur; ergo non est, cur utraq;
 species causet plus quam altera. Respondet, licet totus Christus contineatur in ho-
 stia, non tamen ut potabilis, sed ut cibus, hinc est, ibi solum causare effectum cibatio-
 nis spiritualis, non vero potationis. Et quidem, licet fames & sitis extinguatur
 primario per eandem gratiam, ceterum quoad effectus secundarios, quos habent,
 extinguuntur etiam per alios effectus secundarios, in ordine ad quos datur eadem
 gratia per diversas species hujus sacramenti. Ultimo tamen loco admonet, ex hac
 doctrina non fieri, ullo modo posse aliquos merito conqueri de Ecclesia, quod usum
 calicis Laicis interdixerit: tum quia fructus substantialis, & præcipuus in singulis
 speciebus habetur, quia per singulas seorsim accipitur gratia nutrimentalis, qui est
 potissimus fructus hujus sacramenti, per utramq; autem simul solum additur gra-
 tia aliqua in ordine ad aliquid accidentale minus principale, tum etiam, quia (ut
 dixit Tridentinum Sess. 21. cap. 2.) in hujus sacramenti dispensatione attendendum
 est non solum ad suscipientium utilitatem imò ad hanc vel maxime. Christus enim
 dispensator in hoc notissimo incomparabilis amoris monumentum plus nostræ utili-
 tatis quam suæ majestatis habuit rationem. Pergit; sed etiam ad ipsius Sacra-
 menti reverentiam, propter quam multa videmus omitti, quæ aliquam suscipien-
 tium utilitatem impediunt: Ideo hoc sacramentum non potest una die bis sumi, li-
 cet majorem fructum afferret duplex communio, quam unica: ideo negatur parvu-
 lis baptizatis etiam in articulo mortis, quibus procul dubio gratiam auget, & per-
 consequens gloriam etiam essentialem; item hanc ob causam non datur perpetuis
 amentibus etiam baptizatis, neq; iis ægrotis, in quibus timetur periculum vomitus;
 quamvis utriq; priventur fructu sacramenti; imò propter eandem reverentiam
 non permittitur ægrotus sumere de laici manu sacramentum absente sacerdote, ju-
 dicante Ecclesiâ minus inconveniens, quod moriatur sine viatico, quam tangi Eu-
 charistiam manu laica, absente sacerdote. Quid mirum, quod propter reveren-

etiam sanguinis Christi priverentur etiam laici illo fructu secundario, & minus principali, quem ex calice perciperent? erat enim frequens periculum effusionis in tanta communicantium multitudine: difficultas etiam consecrandi & ministrandi omnibus, repugnantia multorum ad potum vini, periculum etiam erroris, quo aliqui cogitabant, non esse totum Christum sub singulis speciebus; propter quae & alia iustissime Ecclesia prohibuit usum vulgarem, calicis, ut videri potest apud Auctores in hac questione. Hæc Cardinalis ἐὺφρασιώλης; poëta sc. vanissimus. nam quid vetat uno die bis sumi, si id necessitas flagitaret? neque temere dixit Dominus QUOTIES? Si licuit eucharistiam in domum privatam vel solitudinem asportare si necessitatis incesset, quidni in eodem necessitatis articulo à manu Laicâ?

August. ep. 118. ad Ianuar. ubi disputat num quotidie accipienda sit Eucharistia, & non potius dies eligendi, quibus purius homo continentiusq; vivit, quo ad tantum sacramentum dignus accedat, faciat, inquit, unusquisq; quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Nam & ille honorando non audeat quotidie sumere, & centurionis exemplo, indignum se putat dominum sub tectum suum recipere: & ille honorando non audeat ullo die pratermittere, sed quasi Zacheus Dominum gaudens in domum suam suscipit. Contemptum solum non vult cibus hic, sicut Manna in primo populo fastidium, ut illud unicuiq; secundum propriam voluntatem sapiebat, sic sacramentum in hoc ore cuiusq; Christiani quomodo sumatur, aestimandum.

Parvuli ac amentes non sunt capaces huius sacramenti, ut qui se ipsos probare non possunt. reliqua irreverentiæ pericula quod attinet, tollatur transubstantiationis commentum (cujus respectu graviori & certiori periculo exponitur corpus Christi, dum ipsum sub speciebus panis in pyxidibus & tabernaculis diu includitur, ubi à muribus læpe, sæpissimè à tineis rodatur & consumatur) Ecclesiæ Romanæ fallibilitas credatur; dignitas Sacerdotum virtute magis quam privilegio monopolico servetur, & erit plerisq; periculis parata medicina. Fuerunt in Concil. Trident. qui monerent, si Ecclesia totis 12. seculis, etiam cum majore paupertate laboraret; rationem reperire potuit, quâ periculis hisce obviam iret, nostris hisce tempestatibus multo esse proclivius incommodis illis à Gersonne adductis occurrere. Petr. Suav. l. 6. Hist. Concil. Trid. p. 609. Pergit Card. de Lugo, Clemens VI. in bulla ad Regem Gallia concessit ei communionem sub utraq; specie, & addit Pontifex hoc concedere ad majus gratiæ augmentum: Ergo utraq; species dat plus gratiæ quam singula. Ratione probatur hæc sententia; primò, quia sacramenta causant quod significant; ut commune est apud Theologos, sed species panis, & vini significant non solum diversimode, diversitate tenente se ex parte signi, & ex parte modi significandi, sed etiam ex parte rei significatæ; ergo

ergo non habent eundem effectum, sed diversum, major, & consequentia videntur manifeste; Minor probatur, quia utraq; species simul significant plenitudinem convivij spiritualis, & satietatem perfectam animi, quam singulae species seorsim non significant; ergo ex parte rei significat & aliquid respondet diversum utriq; speciei simul, quod non correspondet singulis seorsim. Dices, hanc eandem satietatem significari etiam per singulas species, non quidem tam expresse sicut per utramque, sed magis confuse, sufficienter tamen ad hoc, ut per singulas causetur. Sed contra; quia species panis non assumitur ad significandum sub ratione aliqua communi, sed sub ratione speciali cibi; cibus autem ut cibus non potest ullo modo significare societatem completam, & plenitudinem convivij constantis ex cibo & potu; ergo species panis non assumuntur ad significandum plenitudinem, & satietatem integram, ideo namq; non dixit Christus: caro mea vere est satians, vel alimentum utcumq; sed cibus, & sanguis meus vere est potus; ut indicaret, corpori suo sub speciebus panis competere eos effectus spiritualiter quos operatur cibus naturalis; ut dixit Florentinum in Decreto Eugenii; & sanguini sub speciebus vini competere eos effectus spiritualiter, quos operatur vinum naturale: ergo aliquis effectus correspondet calici, nempe potare spiritualiter, qui nullatenus respondet hostiae, & e contra cibatio spiritualis, nullatenus provenit à calice, sed ab hostia. Confirmatur, quia si species vini solum assumerentur ad significandum sub ratione communi alimenti, & non sub speciali ratione potus, haberent se, sicut nunc de facto species vini albi, vel rubri, quae materialiter concurrunt ad significandum, neq; una haberet majorem proportionem cum effectu, quam alia; ergo sicut sanguini Christi non competit in hoc sacramento esse magis potum vini albi, quam rubri, sic nec competeret magis esse potum, quam cibum, sed esse alimentum; hoc autem est falsum ut constat ex Christi verbis, Sanguis meus verè est potus; id est; bene datur per modum potus, ut indicetur, eosdem habere effectus in anima, dum potatur, quos habet potus, ut potus in corpore; ergo cum cibus ut cibus non habeat hos effectus, fatendum est, aliquem effectum provenire à calice diversum ab effectu hostiae. Petes, in quo differant isti effectus secundarii cibi, & potus spiritualis? Respondeo, aliquam differentiam agnosci ab ipsa Ecclesia in iis effectibus, licet in speciali non possimus omnes differentias comprehendere; ideo enim singulis speciebus tribuit suos proprios effectus in hymno corporis Christi: Dedit fragilibus corporis ferculum; Dedit & tristibus sanguinis poculum; quasi dicat effectum cibi esse roborare fragiles; juxta illud Psal. 103. & panis cor hominis confirmat; effectum vero potus esse nutrire quidem, quia vinum etiam deservit ad nutritionem letificando tamen animum tristem; juxta illud ejusdem Psalmi, & vinum letificet cor hominis. Hinc enim est, quod aliquando effectus calicis caelestis appellatur in Scriptura in-

b

ebria-

2.
ebriatio anima; quia affert hilaritatem quandam, qua homo reddatur quodammodo insensibilis ad laborem, & tribulationem, sicut ebrius redditur etiam naturaliter insensibilis. Confirmariq; potest, quia non videtur credibile, Apostolos, quando post coenam invitati fuerunt à Christo ad calicis potum, non accepisse fructum aliquem ex illa sumptione, sed solum signum magis explicitum fructus jam ante percepti; imò ex ipso modo porrigendi calicem videtur Christus eos aliqua spe fructus spiritualis invitasse; & eadem spe non etiam post sumptionem corporis ad calicem invitare. Sic videtur indicare Cyprianus (vel quisquis est Auctor) in libr. de cardinalibus operibus Christi, Homil. de Coena Domini, circa medium; ubi de calicis poculo loquens sic ait, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, ut non tantum exterius hoc sanguine linirimur, sed & interius aspersione omnipotenti anima muniretur; & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid esset intus ibi durum, effugaret, & revocaret, sanaretq; quidquid morbi carni, vel spiritui veteris vitæ adlimerat corruptela. Hec Cyprianus, ubi non solum dicit, datum hoc poculum ut signum gratiæ datæ, sed ut efficax, ad sanandum; ergo ad causandum aliquid. Hoc etiam sensu dicitur communiter, hunc calicem inebriare spiritualiter sumentem, quod quidem sine efficientia aliqua non potest intelligi. Item in hoc sensu dicitur Christus dedisse tristibus sanguinis poculum, scilicet ad causandum in eis lætitiā per illum potum, quod etiam sine efficientia non potest fieri. Deniq; hoc etiam sensu sacerdos post sumptionem orat, ut sanguis, quem vult accipere, custodiat animam ejus in vitam æternam; quod etiam fieri non potest, nisi aliquid in ejus animā producat. Difficile ergo est dicere, nunquam calicem causare aliquos effectus spirituales in sumente, sed semper invenire jam effectum productum à sumptione hostiæ: nam ex hoc fieret, nunquam nos spiritualiter potari, quia potus iste nunquam effectus aliquos spirituales causat. Dicunt aliqui, in eo, qui sumit unicam speciem, per illam dari totum effectum; in eo vero, qui accipit utramq;, dividi effectum, ita ut una pars decur per primam, & alia per secundam; quia alioquin non potaretur spiritualiter per calicem, ut dicebam; sed tamen non accipere majorem effectum per utramq;, quam acciperet per unam speciem, si illam solam sumpsisset. Ita P. Salmeron tom. 9. in Evang. tract. 36. circa finem in solutione 3. objectionis. Sed hæc solutio durissima: si enim habet dispositionem sufficientem, non videtur posse differri totum effectum, quando accipit hostiam ex eo solum, quod velit postea sumere calicem. Alioquin esset deterioris conditionis, qui accipit utramq; speciem, quia illo tempore intermedio ante sumptionem calicis careret augmento gratiæ, quod habuisset jam, si nollet sumere secundam speciem, & consequenter careret illis omnibus emolumentis, & bonis quæ ad augmentum gratiæ consequentur; quod nullo modo videtur concedendum, hæc hæctenus Card. de Lugo. Nec

Nec solum sanguinis Christi, sed & totius sacramenti raptus est. Est enim hujusmodi ademptio non nuda mutilatio (quam largitur Becanus licitam in manuali lib. 1. cap. 9. num. 136. *Partes sacramentorum sunt duplices, alia substantialis seu essentialis, alia solum integrantes: priores non licet auferre ab ullo sacramento, nec Catholici hoc faciunt, posteriores licet auferre*) sed ipsius sacramenti sublatio. Mutilum Aristoteli lib. 5. Metaph. c. 27. est cum pars tantum integralis eaq; principalis tollitur, εἰ κύλιξ κολοβός ἐπὶ δεῖ εἶναι κύλικα & ib. εἰ δὲ δεῖ ἢ ἔτε τὰ κύεια τῆς εἰσίας ἔτε τὰ ὄτε ἐν ὄντα, ὅιον ἀντρυπιδῆ ἢ κύλιξ, εἰ κολοβός ἀλλ' ἀν τὸ ἔς ἢ ἀκροποιεῖοντι. At calix sacramentalis non tantum est pars integralis nedum minus principalis, sed essentialis, quo adempto sacramentum nullus accipias. nam in re quæ ex instituto pendet id omne est essentialis, quod institutum est. Et si vinum non est pars substantialis, nec panis erit substantialis. Aggregatio actuum sacramentalium est unum numerale, jam numerus est in indivisibili l. 8. Met. cap. 3. Senarius sane non est ubi deficit unum.

Proponit Tannerus disp. 7. de sacrament. quæst. 2. dub. 4. num. 90. hujusmodi casum: *In quadam celebratione & collatione ordinum, extra Germaniam facta, dum ordo Sacerdotis conferretur, contigit, magistri ceremoniarum inadvertentia, ut in calice vinum non fuerit; Respondet ib. Sacramentum ordinis tunc ex probabiliori sententia fuisse nullum & invalidum, addit numer. 93. ad valorem sacramenti non sufficere etiam alterutrius rei, videlicet aut patinae cum pane aut calicis cum vino porrectionem, sed requiri utriusq; simul rei porrectionem. & num. 98. Necessario ordinationem ita factam, saltem sub conditione fuisse iteratam ac iterandam. Nunc si ob defectum partis alicujus, ex sola hominum traditione requisitæ, sacramentum ordinis nullum est. Annon multo magis defectus rei divina institutione postulatæ annihilat sacramentum Eucharistiæ?*

Boni communis. Omnis enim jubetur libare, bibite ex hoc omnes ut paulò post videbitur.

Ereptio facta Laicis, ad proprietatem statui clericali asserendam. Id enim clamat ululatus Constantiensis & Tridentinus: Invito Domino Christo, cujus institutioni gigantæa audacia obnititur. Qua in re habemus fecos confitentes in Constantiensi Concilio, cujus decretum in sessione 13. ita sonat: *Generale concilium declarat, decernit, & definit contra hunc errorem (de communione Laicorum sub utraq; specie) quod licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis ministraverit sub utraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; Tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum autoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesie servavit, & servat quod hujusmodi sacramentum non debet confici post Cœnam, neq; à fidelibus recipi non jejunis.* Con-

jungit Concilium duo, perceptionem sacramenti à jejunis & sub una specie. Opponi poterat utriq; decreto institutio Christi, facta & exercita post Cœnam sub utraq; specie. Respondet Concilium, hoc scilicet utroq; non obstante &c. Clarius se expediunt Tridentini. Et si, a junt, *Christus Dominus in ultima Cœna venerabile hoc sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio & traditio extendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramq; speciem accipiendam astringantur.* Invitâ deniq; Ecclesiâ usufructuariâ, id liquet ex querulis Lamentis & suspiriis pro calice reddendo, tot testium veritatis, tot Ecclesiarum, tot principum, quæ collegit noster Gerhardus libro secundo, Confessionis Catholicæ, part. 2. artic. 14. cap. 7. pag. 1063. & sequentibus.

ARISTOT. *Papa totum hereditatis divine assem integrè semper fruendum dedit.* Ecquid enim amabo servator Christus aliud nobis moriens legavit, quam corpus & sanguinem suum involucris specierum sacramentalium recta? Atqui hoc totum Papa sub specie panis abunde præstat. Edic enim sodes, quid ore excipis, cum panem synacticum mysta exhibet? VERAUD. *Verum Christi corpus.* ARIST. *Mortuum illud an vivens?* VERAUD. *Vivens, nam Christus teste Apostolo jam non moritur amplius.* ARIST. *Ergo corpus anima & sanguinis plenum?* VERAUD. *Ajo non magis esse exangue aut mortuum quam est corpus quod solum vi consecrationis præfens est speciei panis, neq; ideo pomum est à γευσον, quia visu solus pomi color non gustus apprehenditur.* ARIST. *Ergo sub una panis specie integrum, vivum viventemq; Christum, cum corpore, cumq; anima, cumq; sanguine cumq; divinitate accipis?* VERAUD. *Ita ne? Quidni & vestes Christi & salivam, & cibum indigestum discipuli acceperint eodem concomitantia nexu cum corpus Christi acceperunt? Res enim (juxta Card. de Lugo de sacram. disp. 8. sect. 1. n. 6. p. 336.) ubi ad æquate existit, debet secum habere totam suam supellectilem & omnia sua secum portare, quia taliter ibi existit, ac si nusquam alibi existeret.* At corpus Christi in singulis partibus hostiæ habet præsentiam adæquatam. Unde idem Card. de Lugo notat poni in Eucharistiâ etiam præputium Christi quod nunc conjunctum est in cælo cum aliis partibus corporis Christi, quæ hic ponuntur: ungues item capilli, & dentes juxta probabiliorem sententiam informantur animâ rationali: sed et si non informantur, sunt partes integrantes corpus humanum; & ideo ponuntur etiam in Eucharistiâ; quod à fortiori dicendum est de spiritibus animalibus & vitalibus, & de humoribus; hæc enim omnia sunt partes hominis non minus quam sanguis; saliva autem & alia excrementa, quæ erant in corpore Christi tempore Cœnæ, non perti-

vent ad integritatem corporis; sicut nec cibus indigestus, quem habebat in stomacho; & ideo hæc non fuerunt in Eucharistiâ. Deniq; partes illæ sui corporis, quas post cœnam forsitan per resolutionem perdidit, & postea non recuperavit, non ponuntur modo de factis; sicut nec partes illæ sanguinis, quas probabile est in terris mansisse in spinis, vel sudario adherentes, non quidem sub forma sanguinis, sed in aliquam substantiam rubram mutatas: hæc tamen non ponuntur in Eucharistiâ, sed solum sanguis, quem modo habet in cœlo. At nec præputium nec capilli pertinent ad integritatem corporis, fuissent alioquin omnes Apellæ, omnes calvi, mutili. Dolet ad hujusmodi instantias nos compelli, ab otiosissimis & curiosissimis speculatoribus, sed novi Manichæi eadem absurditatem connexionem ridendi sunt, quâ veteres risit Augustinus l. 20. contra Faust. c. 12. Dices cum (e) Tannero hæc hujusmodi nec vi verborum nec per concomitantiam adesse. Idem ego dicam de sanguine Christi. Equidem Vasquez putavit, totum hoc fundari in eo, quod ea, quæ conveniunt, alicui antecederent ad locum, conveniunt ei secundum se, & ideo impossibile est etiam de potentiâ absoluta, ut conveniant ei in uno loco, & non in alio; quare cum anima, v. g. uniatur corpori antecederent ad locum, unitur illi secundum se; & per consequens ubicunq; fuerit illud corpus, debet necessario esse animatum. Verum (ita censet Card. de Lugo de sacram. disp. 8. sect. 1. n. 4.) in hac doctrina & fundamento supponit ejus Auctor falsa principia Philosophiæ. Verius enim est, posse divinitus idem corpus in uno loco esse album, & in alio carere albedine; quia ad hoc ut sit album utrobique, non sufficit habere albedinem sed requiritur etiam duplex præsentia albedinis in utroque loco: potest autem Deus dare albedini unam præsentiam, & non aliam. Dicendum ergo est, hanc concomitantiam fundari in connexionem, & unionem partium inter se; nam eo ipso, quod partes sint unitæ postulant ex naturali ratione unionis, ut quocunq; feratur una, ferantur etiam & aliæ partes. Quid si verò aliquis negaverit sanguinem esse partem hominis, adeoque partem corporis, atq; hunc in modum collegerit? Omnis pars hominis est animata, at sanguis non est animatus. Equidem anima est actus corporis organici, at sanguis est similis. Omne animatum nutritur introreceptione l. 1. de gener. & corr. c. 5. t. 31. habetq; certum crescendi terminum l. 2. de anim. c. 4. t. 41. Neutrum de sanguine dixeris. Quæ l. cit. excipit Card. de Lugo, ea vertigine rotantur, ac labyrintho se implicant, è quo ut evadat, nusquam evadit.

Præstat autem Magistrorum tuorum responsis ac decretis tanquam scopis tuum illud concomitantiam monstrum ex ecclesiâ ex scopare Durandi hæc sunt l. 4. Rat. c. 54. *Et si in hostia consecrata Christi sanguis est,*



non tamen est ibi sacramentaliter, eò quòd panis corpus, non sanguinem significat: vinum sanguinem significat non corpus. Alensis q. 40. memb. 3. a. 2. inquit. Totus Christus non continetur sub utraq; specie sacramentaliter, sed caro tantum sub specie vini. Quamvis inquit Innocentius III. de Myst. sacram. Altar. l. 4. c. 21. sub specie panis sanguis sumatur cum corpore & sub specie vini corpus sumatur cum sanguine, tamen nec sanguis sub specie panis nec corpus sub specie vini bibitur aut comeditur. Quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur. Ut anima tota est in qualibet parte, nec tamen in qualibet parte videt, sed tantum in oculo, Ita sanguis in corpore existens, non tamen in corpore vel pane bibitur. Vasquez tom. 3. m. 3. d. 216. c. 5. n. 50. Verba Domini, Nisi manducaveritis &c. non tantum referuntur ad rem ipsam sumptam, sed ad modum sumendi eam: nam Manducate & bibite, si verba proprie usurpentur, cuius specie convenire non possunt, neq; enim sanguis sub specie panis bibi dicitur, sicut neq; corpus sub specie vini manducari: ut optime notavit Innoc. III. lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 21. quamvis sumi dicatur. Christus autem precipit, ut bibamus; alioquin, si prædictam solutionem probare velimus, oportet, ut propriè verba prædicta capiamus, & ita nihil in eo capite de calice sanguinis Christi dictum putemus, quod est absurdum. Cum enim, inquit Christus: caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, non possumus non de sanguine sub specie potus intelligere. Adde, quod illis verbis: Nisi manducaveritis, &c. si in triduo fieret consecratio, aut totus Christus in Eucharistiâ non esset, non minus satisfacere sumendo solam speciem panis, & sub ipsâ solum Christi corpus, quam nunc; aliis autem verbis: Et biberitis eius sanguinem, nullo modo satisfacere possemus, nisi sumendo speciem vini, ut patet: accidentarium autem omnino videtur obligationi, & observationi huius præcepti, quod jam post Resurrectionem totus Christus sub qualibet specie contineatur; ergo, manducare, ad solam speciem panis refertur; Bibere autem ad solam speciem vini. Hactenus Vasquezius. Nondum cedis veritati falsitate escopata? en lapides absurditatum, quibus cedat oportet concomitantia, si scopis nolit; Annon enim absurda fides est quæ credit sacrificulum in quolibet actu bis Christum comedere bis bibere? quæ credit tantundem fructus sacramentalis se sentire ex una specie quam ex utraq; , perinde ac si cum medicus præscripsit pilulas ægro ut edat, & potionem ut bibat, ægroto assistens muliercula persuadere velit ut solas pilulas accipiat, tantundem fructus perceptum iri. Quæ credit in hoc sacramento representari Christi sanguinem ut effusum, ita Bellarmin. l. 4. de Euchar. c. 19. §. secunda ratio, & tamen is representatur non ut effusus

sus sed ut in venis contentus? quæ credit se percipere sacra donaria in sa-
 cramento, & tamen sanguinem accipere extra sacramentalem rationem
 naturaliter concomitantem. Etenim vi verborum sacramentalium non
 est in specie panis nisi corpus, sanguis sequitur per naturalem concomi-
 tantiam, uti sententiam Concilii vindicat Bellarmin. l. 4. de Euch. c. 21.
 Nunc ad Scripturæ veritatem non sufficit concomitantia, Scriptura enim
 testatur id quod ex vi sacramenti est in Eucharistia esse corpus illud,
 quod pro nobis ad mortem traditum est, debet igitur non per concomi-
 tantiam sed ex vi sacramenti esse in Eucharistia caro illa Domini, ita
 contra Durand. disput. Bellarmin. l. 3. de Euch. c. 13. substitue pro carne
 Domini sanguinem, idem efficies. quæro an Laicus in corpore Christi
 sanguinem ejusdem edat naturaliter an sacramentaliter? si naturaliter,
 Capernaita est: si sacramentaliter Ergo non vi naturalis concomitantia.
 Item quæ credit totum sacramentū esse adiaphorum & superfluum. Nam
 si idē calicis usus non est necessarius, quia quantum in Calice desidera-
 ri potest, habetur in pane; ne panis quidem necessarius fuerit, quia quan-
 tum in eo percipitur tantum in baptismo percipitur, in quo totus Chri-
 stus induitur; tantum etiā in verbo. Igitur jam liberum erit totum sacra-
 mentum Eucharistia tollere, dummodo novo alicui Concilio ita placue-
 rit. quæ porro credit sine principio credendi. Cardinalis de Lugo l. cit.
 agnoscit unā cum Vasquesio loca scripturæ pro concomitantia non ha-
 bere efficaciam, posse facile in contrarium explicari. At nullum a-
 liud in mundo est principium fidei, si à verbo abiveris. **ARISTOT.**
Vti nihil interest heredis gemino an uno sacculo pecuniam legatam accipiat, modo
omnem accipiat, ita nihil tua referre debet, unā an duabus speciebus corpus & san-
guinem Christi sumas, dummodo verum corpus & sanguinem sumas. **VERAUD.**
 Fuit Sempronius qui nuper Collegio alicui ē Lojolitarum familiā mil-
 le aureos legavit, hac tamen lege ut eorum alteram portionem Amb-
 sterodami in Banco, alteram ex arario alicuius principis accipiat: at is
 utramq; portionem Abstelodami suæ commoditatis studiosus accipere
 conatus est; num id justē ac legitime? **ARIST.** *Tu, qui pudendus est*
stupor, de specie magis, quam de re sollicitus, cum speciei gemine nimis avide in-
hias, re tota sacramenti excidisti nempe canis es Esopica, umbram fugacem gu-
losiore rictu captans; carni obsonium, deluso ex ore dimisisti Nosti fabulam
VERAUD. Addo Aquilam quæ Corvo vulpiq; intervenit, ac eluso u-
 troq; dapes sortita est? Nosti fabulam apud Apuleium in Deo Socratis,
ἐμπύθιος, ubodoraris, quid Harpyia Romana in Concilio egit? Croci-
 tavit.

CAVIT. Quid tua suada canit? gannitum. Intervenit aquila, nosti dictum Domini, ubi corpus ibi aquilæ? *Christus duas species instituit, Christus dedit, Christus precepit. Præceptum Domini, Præceptum Domini est. Qui contra faxit, scelus vir & intestabilis esto.* ARIST. Quid si vero nullum de hac re sit præceptum? nunquid frustra eris? VERAUD. Ita, si nullum sit, qui aliquod esse nimis ego quam certo scio. ARIST. Quid si tu nullum ostendere possis? VERAUD. Audies me posse, non ex tuo psittaci sine ratione garrictis & verba mea imitari conantis; non ex ore Canisii Herbipolitani meorum argumentorum formam ad ludum perverse & joculò insulsis salibus aspersis proponētis, ut vulgo placerent quas fecisset fabulas, sed ex meomet hominis ore. Imò non posse tantum sed jam dudum potuisse, id quod animadvertis si, ut jactas, omnes pluteos librorum excussisses; audivisses Ciconiam quæ cum Bartholdo Nihusio tuæ religionis consecraneo, anæam nuthe-tici monstrasset, quadriennii silentium obtinuit; annus adhuc superest, quem si eodem silentio transmittet, è Magistro discipulus fiet in ludo Pythagorico, dudum voti sui damnas, quo se alligavit fore se Lutheranum si ex scripturæ s. dicto unico sententiam fidei nostræ vel unicam demonstraverimus. Ægre quidem repeto alibi proposita; sed ut bene de te merear, in tui gratiam faxo. Ita tamen ut quas tu roseto nostro erucas injecisti, non novas quidem sed iteratas unà depellam, experiere opinor Logicæ magistrum veteranum nondum dedidicisse *præcepta rectè argumentandi, nec infantiliter hallucinari, nec ulli patere vulnere, nec affecta tyrannidis reum haberi posse.*

Singula DOMINI verba sua habent momenta: *οὐρανίου*. BIBITE EX HOC OMNES, constat duobus membris, AD QUOS illa facta? ad omnes. AD QVOD? ut bibant. OMNES igitur alloquitur, an illimitatè ac promiscuè, omnes homines, qui fuerunt, sunt, erunt? Nemo hoc dixerit; nam inter illos, qui fuerunt, innumeri dudum diem obierant; inter eos qui sunt, sunt Henoch, Elias, Moses, cœlites in triumpho non amplius in viâ constituti, viatici hujus non indigi; sunt Infantes, qui se probare nequeunt; sunt abstemii, qui à vino simpliciter abhorrent; sunt, qui per baptismum nondum initiati jus ad rem, sive ad beneficia Ecclesiæ nondum sunt consecuti. Tametsi enim à beneficiis Messia nemo hominum absolutè sit exclusus, tamen DEUS ordinis ordinem gradumq; observari vult. *οἱ ἐξ ἡμῶν* sunt *ἐξ ἑοῦ τῶν διαθήκων τῆς ἐπαγγελίας* Ephes. 2. 12. nasci prius oportet, quam pasci: OMNES igitur, ait Dominus, qui estis intra Ecclesiæ Pomeria, qui bibere potestis vinum. nam præceptum
in re-

in regno gratiæ præsupponit etiam *δύναμιν* in regno potentiæ. OMNES qui sui *δοκιμασίαν* instituere potestis, *probet QVIS QVE seipsum, ait Apostolus; & ita de pane illo edat & de poculo illo bibat.* Eadem ratio est eorum, qui erunt, qui (licet non pro tunc fuerint, adhuc futuri tamen) si aliquando erunt, ordini divino obstreperi futuri, ac segreges à grege Christi, in quæstionem hîc non veniunt. Ipsimet adversarii ordinem in sacramentis accipiendis exigunt. *in adultis,* scribit Tolet. l. 2. 16. p. m. 112. *Opus est intentione, adeo ut si quis vi, aut nolens baptizaretur, non esset baptizatus. Non pugnat (ita Tanner, disp. 3. de Sacram. q. 3. dub. i. n. 8.) cum opere operato, quo minus etiam ex parte subjecti subinde requiratur pia motio mentis velut dispositio, quâ obex gratiæ conciliandæ removeatur.* Confer. Becan. de sacram. c. 3. p. 627. Thom. Henrici in anatom. Confess. Aug. art. 9. p. 363. Manet igitur quæstio *an Christi alloquium pertineat ad omnes homines, cum existentes, tum futuros in viâ adhuc foroq; Ecclesiæ constitutos, baptizatos, probationis reflexæ ac bibitionis compotes, Laicos æque ac ministros: num ad solos tunc presentes Apostolos exclusive?* Prima quæstionis pars nostra est, altera tua tuorumq; illa astruenda; hæc destruenda.

Esto igitur Classis argumentorum prima ostensiva, ac in ea prima apodixis ex polemophiâ repetita. I. Omnes illi omnes intelliguntur, qui sunt capaces hujus sacramenti; qui beneficii indigentes; quibus dictum, ut *ὡσάνθρωπος* bibant, sicut manducarunt. At omnes homines cum existentes tum futuri, in viâ adhuc, foroq; Ecclesiæ constituti, baptizati, probationis reflexæ ac bibitionis compotes, sunt capaces hujus sacramenti, sunt beneficii indigentes, sunt illi, quibus dictum ut *ὡσάνθρωπος* bibant, sicut manducarunt. Ergo. Major è lumine naturæ supponitur, cujus hæc sunt dictamina. Qui dicit omnes, neminè dicto modo capaciū excludit. Si quis Medicus in Nosodochium ingressus reperiret in uno contubernio simul habitantes sanos & ægros, peste infectos & puros adhuc à peste, homines & canes, catts, aves, ac diceret, bibite ex hoc poculo alexicaco omnes; canes, catts, aves sane non intelligeret, nec homines sanos medico non opus habentes; sed omnes capaces medicamento, & sic omnes dicens neminem capaciū excluderet. Cavillatoria igitur est tua instantia, de *infidelib; turcis, iudæis, paganis nec dum baptizatis infantibus, amentibus, fatuis, excommunicatis, impiis, indignis.* Item beneficia sunt amplissima interpretationis, quoad ab Evergeta ipso sibula nulla imponitur.

Ita ex eodem naturæ fonte Jurisprudencia, nullarum partium studiosa definit. Favorabilia sunt ait Hugo Grot. lib. 2. de Jure bell. & pac. c. 16. n. 10. 11 p. 318. quæ æqualitatem in se habent, & quæ communem spectant utilitatem, quæ quo major est, atq; latius patet, eo major est promissi favor, ut eorum quæ ad pacem faciunt major, quam ad bellum. In non odiosis p. 319. sumenda verba secundum totam proprietatem usus popularis, & si plures sint, eam quæ latissima est, quale est, ut masculinum sumatur pro genere communi, & indefinita locutio pro universali. Sic verba hæc, unde quis dejectus est, etiam ad eum restituendum pertinebunt qui vi vetitus est ad suum accedere, nam vox laxius sumpta fert eam significationem, ut recte Cicero pro A. Cæcinnâ disputat.

Item, qui actus per *ὁμοίως* junguntur in eadem sententia, sunt ejusdem non modi solum, sed & quantitatis ac amplitudinis, id denuo communis sensus docet. Sicut, si medicus conditum à se præparatum daret ægro, & diceret, accipe, comede, hoc est conditum admodum salubre, hoc fac ad sanitatem recuperandam; similiter & calicem, in quo apozema sive decoctum porrigeret, ac diceret, bibe ex eo, hic potus est Alexipharmacum, hoc fac quoties biberis, ad sanitatem recuperandam; nemo hominum aliter id capere vel intelligere posset, quam æqualem utriusq; medicamenti necessitatem exigi. quæro, hodierni laici in papatu, aut edunt sacramentum invitati, aut *ἀκλήτοι* veniunt; si hoc, non solum impudentes sunt, sed & sacrilegi, qui accipiant edantq; non suum: si illud, invitatio extat aut scripta, aut tradita. dices traditam? in circulo ibis: Dices scriptam, ceddò aliam primam, quam hanc ipsam in verbis institutionis consignatam.

Secunda apodixis (à te cavillatorie ut nihil gravius dicam, hunc in modum illimitatum concepta. Si Christus dixit Apostolis cum calicem porgeret: bibite ex eo omnes: jussit omnes fideles in sacra synaxi è calice bibere. Atqui Christus dixit Apostolis: bibite ex eo omnes. Ergo Christus jussit omnes fideles in sacra synaxi è calice bibere. Item: Si Christus dixit Apostolis cum calicem porgeret: bibite ex eo omnes: & ea verba etiam ad omnes fideles in sacra synaxi è calice bibere. Atqui Christus dixit Apostolis: bibite ex eo omnes. & ea verba ad omnes fideles pertinere voluit. Ergo: Numquid jam invicti? Neutrum syllogismum ego emerim vel casta glande vel titi villitio, major non mei cerebri est filia, sed tui adulterantis veritatem spuria, sc. ut tuum illum bellulum partum eniterere, si Christus dixit de Apostolis: omnes in me scandalum patiemini in nocte ista: ergo omnes fideles & Christiani scandalum sunt passi in Christo in nocte ista.) sic habet: Quod Christus discipulis, quæ discipulis, comunicantibus, non sacrificantibus, dicit, omnibus civibus Ecclesiæ dicit, Marci XIII 37. Christus discipulis suis quæ discipulis, comunicantibus,

bus, non sacrificantibus, dixit, Bibite ex hoc omnes Matth. XVI. 27. ergo omnibus civibus Ecclesiae, adeoq; etiam populo dicit. Major de-
 nuo ex lumine logico patet, cujus haec est regula perpetua: à Quatenus
 ad de omni valet consequentia. suffragatur, revelatio, *Quod vobis* (non ut
 Apostolis, excluderentur alioqui sacerdotes, qui non sunt Apostoli; nec
 ut ministris Ecclesiae, excluderentur aliàs Laici etiam à pane sed ut repræ-
 sentantibus omnium fidelium Ecclesiam, dico) *omnibus dico*, Marc. 13, 37.

Tertia Apodixis. Quod fecit Ecclesia prima, Apostolica, Exem-
 plaris, Corinthiaca, id hodie quoq; faciendum est Ecclesiae Romanae,
 Argentinensi &c. At Ecclesia prima, Apostolica, Exemplaris, Corinthia-
 ca ex mandato Domini bibit de calice. Ergo. Majorem cum indoles pri-
 mitatis & exemplaritatis docet, primum enim in uno quovis genere &
 quidem exemplariter primum est mensura reliquorum; tum firmat Apo-
 stolus, cum inscribit illam suam Corinthiacam epistolam non solum Ec-
 clesiae DEI, quæ est Corinthi, sed & *omnibus, qui invocant nomen Domini*
IESU CHRISTI in quovis loco. Minor solis quasi radiis scripta extat
 1. Cor. II. 25. ego accepi à Domino, quod (non nudè ut libere faciendum
 permisi, sed) *tradidi vobis.* est igitur bibendi mandatum expressum cum
 in τὸ hoc facite, tum illis verbis de poculo illo B I B A T. non dixit Bibet,
 sed imperative *πιβέτω* bibat; utrumq; imperat Apostolus categoricè, &
 probationem, & bibitionem; non loquitur ex hypothesi, si quis bibitu-
 rus est, permissu Ecclesiae, ut id faciat præambula probatione, *traditio*
Apostolica scripta à Domino accepta, adeoq; Dominica, *tenenda utiq;*,
 2. Thess. 2. 15. Quid est tradere nisi mandare, quid est accipere à Do-
 mino, nisi traditum à Domino?

Apodixis I V. e nominibus Sacramenti, & Testamenti fœdera-
 lis. *Sacramentum esse* (ita Bellarm. l. I. de Eucharist. c. 9.) *de quo hîc agitur,*
nemo negat: Testamentum novum fuisse simul à Domino institutum,
 patet, ex illis verbis: *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Matth. 26. vel
 ut habet Luc. 22. *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine,* & ibid.
 Testamentum autem Christi simul Testamentum & pactum fuit. nam
 est Testamentum conditionatum. Sacramentum ratione nominis est sa-
 crum juramentum, quod miles suo Imperatori præstat, ratione rei, con-
 fessione adversariorum, gratiam justificam & significat & efficit. hinc
 argumentum. Omnes illi homines intelliguntur in alloquio Christi,
 qui sunt milites sacri, Christo auctorandi per sacramentum, qui gratia
 justifica signandâ, efficiendaq; opus habent. At omnes Christiani

baptizati &c. Testamento legantur bona non presentibus solum ac vivis hæredibus, sed natis natorum, & qui nascentur ab illis, ut ex testamento Jacobæo patet Gen. 49, *in omni dispositione*, (ait Paul. Laymann. in justa defenf. c. 4. p. 171.) *maximè vero in piis foundationibus, consideranda est intentio principalis, quæ in his est DEI gloria, Ecclesiæ augmentum, animæ salus; ex primario enim fine dispositio interpretationem accipit. Vnde ex ensu Testamentorum virtuali contra Religiosos pro Ignatianis ibi disputat.* Esto igitur, alloquium Christi formaliter solos discipulos tetigerit, virtualiter tamen extendi debet, ad omnes, qui eodem gloriæ divinæ ductu communicare cupiunt. fœdus obligat non solum primos fœderis assertores, sed totam posteritatem, ut liquet ex fœdere Josuæ cum Gibeonitis.

Negat quidem Becanus in præludio 2. Manual. contra claram literam 1 Cor. 11. 25, sanguinem esse testamentum, sive sanguinem Christi in calice esse hæreditatem testamentariam, argumentis plurimâ levioribus enervatis in Anceâ Nuthetici Nihusiani p. 340.

Apodixis V. ex facultate, consilio, affectu, sensu, votoq; Christi instituentis hoc epulum sacramentale. esto sensum verborum horumce obscuriorem esse, tamen is ex consilio statuq; dicentis æstimandus esset.

Rectè pro Cæcinnâ Tullius; quæ lex, ait, quod Senatus consultum; quod magistratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod testamentum, quæ judicia aut stipulationes, aut pacti conventi formula non infirmari & convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus; consilium autem eorum, qui scripserunt, & rationem & authoritatem relinquamus?

Dominus, qui invitat, facultatem habuit, hunc suum thesaurum ad finem usq; mundi dispensandi. Idem *φιλάνθρωπος* est, pro sopolepsiæ nefcius, in ejus regno neq; mas, neq; fœmina, neq; clericus, neq; Laicus, quoad beneficia gratiæ habet prærogativam; eo tempore invitat, quo flagrantissimam suam charitatem in omnes mortales exemplo discipulis sequendo attestatus est! eo sensu invitat, qui *διάνοιαν ἢ εὐγνωμοσύνην*, ut Rhetores vocant, h. e. æquiprudentiam admittit; qui si hodie vivus adhuc inter nos sederet, & interrogari posset, vellet ne à sanguinis sui bibitione ullum Christianum exclusum? an negaret? Jam sane qui ejusmodi est, in voce OMNES non solos Discipulos intelligit, sed totam Ecclesiam, ac universitatem Discipulorum.

Apodixis VI. Ex Instituentis scopo & fine, qui est remissivus peccati, fructuum Evangelii, consequenter etiam sacramenti Evangelici præcipuus. Fulmina quidem contra jaciunt Tridentini, Bellarminus eadem acuit lib. 4. de Euchar. c. 17. & 19. Moguntini stupentiores sunt, quam ut consequentiam è verbis institutionis concipere possint, in animad. in

anti Bēcan. p. 182. qui si vel solam particulam (γὰρ enim) attendissent, potuissent acui, Matth. 26. 27. 28. Ideo enim bibendum erat, quia ille sanguis bibitus, est effusus in remissionem peccatorum pro multis. Unde argumentum. Omne bibendum hoc fine, fructu, promisso, ut habeatur inde remissio peccatorum pro multis, non solis duodecim Apostolis, id habet promissionem remissionis peccatorū: at sanguis sacramentalis bibendus est hoc fine, fructu, promisso: nemo enim sanæ mentis aliter concipere posset verba medici dicentis accipe hanc potionem, quia est febris depulsiva, quam promitti hunc intimatū fructum. Ergo jam quos tangit finis bibitionis, eos & alloquium de bibendo. at multos (h. e. ut utrinq; inter partes ἐξαρώνιον, omnes) Laicos, nō solos Clericos, Christianos ad finem seculi futuros, non solum Discipulos Christi tangit finis bibitionis. Ergo. Sed esto non sit hic præcipuus Eucharistiæ finis, est tamen finis, saltem remissivus peccatorum mortalium, quorum homo conscientiam non habet, uti fatetur Bellarm. l. cit. Igitur Quos tangit finis bibitionis eos & alloquium de bibendo. At Laicos (non solum Clericos) ad finem usq; seculi tangit finis remissionis peccatorum, quorum conscientiam non habent. Ergo.

Apodixis VII. ex D. Pauli interpretatione. I. Cor. II. 29. ὁσάντις ἀνὲς εἶσθε, καὶ πίνετε (id quod ex præcepto debetis) mortem Domini annunciate donec venerit. Quod bibendum usq; dum Dominus venerit, id ad solos Discipulos immediate in ultima Domini nocte præsentis non pertinet, sed ad Christianos quoq; novissimos. at Calix sacramentalis bibendus est, usq; dum Dominus venerit. Ergo. Liceat hic parodiā quadam adamantinam Moguntinorum consequentiam (pro perpetuitate principatus Ecclesiæ in sede Petri, quam ediderunt Irenic. anti Calixt. part. 2. c. 3. pag. 24.) consecrari. Quicumq; propter sui memoriam ac mortis suæ annunciationem sapienter instituit bibitionem sanguinis è calice, is etiam instituit bibitionem sanguinis è calice perpetuam. At Christus, &c. Jam subsumo, at hæc bibitio non est perpetua in personâ Petri, Jacobi Johannis Andreae &c. Ergo in horum in discipulatu successoribus, quales sunt omnes Christiani Apostolico verbo Discipuli facti. Ergo idem, qui iussit duodecim discipulos bibere, iussit omnes Christianos bibere usq; ad consummationem seculi.

Apodixis IX. ex altero probandi modo, qui ducit ad absurdum. Utar hic Nihusiana provocatione, atq; inducam. i. hominem Atheum, Antinomum, ita contra Decalogum Sinaicum agentem, provocaris à me:

Nihusi, ut probes ex illa lege, quam Dominus Judæis ad montem Sinai collectis promulgavit, irrefragabiliter sequi, homini extra politiam Judaicam versanti esse honorandos Parentes, demonstra verbi Dominici de honorandis Parentibus nequaquam esse sensum hunc tantummodo, omnes vos XII. tribus Israel, quos coram alloquor, honorate Parentes. respondebit Nihusius, ex litera decalogi probari hoc non posse; tum Antinomus victoriæ, Nihusius absurditatis admissæ prædicatum reportabit. Respondebit, posse. dicam ego, eadem consequentiæ viâ universalitatem alloqui Christi in verbis institutionis me posse. Rursus inducã hominem Judæum ita contra observantiam JESU Nazareni agentem, provocaris à me Nihusi, ut probes ex illis verbis Matth. 3. HUNC AUDITE irrefragabiliter sequi, non tantum illos, qui tunc ad Jordanis ripam astiterunt, ac vocem cœlestem aure immediatâ exceperunt, sed omnes omnino mortales teneri ad auditionem, ac observantiam Præceptoris IESUS Nazareni. dabit Nihusius manus, absurdus erit; Consequentias struet, pares erunt illæ nostræ superiores. Haftenus apodixes.

Sequitur alloqui Christi τὸ *Quid?* quid illi omnes facere debeât? BIBITE, inquit Dominus quæ vox est *imperativa* ab eo profecta, qui imperandi jus habuit, in objecto imperabili, ad personas imperii capaces determinata, serio pronuntiata, ne hic locus vacue fiat instantiæ tum tuæ (*Non omnia quæ in sacris paginis Imperativè enunciantur, præceptum continent*, idem dicat Atheus cum legem audit Decalographicam; idem Abraham cum jussus est Filium mactare, idem Ioseph cum jussus est fugere in Ægyptum, idem Petrus cum jussus est mactare & edere) tum illi puerili instantiæ Tanneri t. 4. disputatione §. q. 8. n. 165. Esse, ita Bellarm. l. 1. de Euchar. c. 9. *In hac institutione præceptum aliquod divinum, nemo negat; & patet ex illis verbis: Accipite edite, item, hoc facite.* Quidni & τὸ BIBITE, τὸ facite subordinatum, τὸ edite ὡσαύτως cohærens? ARIST. *per tibi charum Alerbe a Numen juro Veraudane, me nec umbram talis præcepti hoc loco deprehendere, audio ex Lucâ Dominum dixisse accipite & dividite inter vos, nunquid non hoc Servator præcepit, ut ne unus totum calicem hauriret sed Apostolorum singuli exinde sibi libandum & pitissandum scirent? Servator noster panem quidem in corpus suum conversum, manu sua inter discipulos ita dispertit, ut singulis buccella singulae obvenirent. Cum deinde vero vinum pari modo distribui non posset, calicem sacrum, ei qui proximus accumbebat, integrum tradidit, ea lege atq; omine, ut aliquantillum inde hauriret modo, & reliquis eadem omnino ratione delibandum porri-geret, ne nova aliâ vini consecratione opus foret.* VERAUD. Nimirum disci-

discipuli ita fuerunt merobibuli ut hoc monito opus habuerint? ita per-
græcari consueverunt, ut tuo exemplo *carchesium & crystallinum* ita *Dius*
penatibus (qui tui Dacis est paganismus) & *Cyrillo libarent ut ne guttula ad*
cottabum faciendum esset super. Minimo minus abes ab illis *Cachinnonibus*
qui eosdem Apostolos variis linguis magnalia DEI celebrantes multibi-
bos nominarunt, hoc sc. est sanctos venerari! Nimirum Dominus *πάρερ*
γον præcepit, *ἔσθον* autē *ἐν ἀδιαφύρω* suspendit! Nimirum periculum esse
potuit, ne quis sub specie vini totum Christi sanguinem exhauriret, &
nihil ad futuram sanguinis redemptorii effusionem reliqui faceret! ni-
mirum mortale crimen fuisset si quis ante Christi cautionem omne vi-
num è calice exhausisset, sicut si quis loto corpore se in aquam baptismi
immerisisset? Quis hujusmodi absurditatum fordas glossas ore scurrili
effutitas non exhorrescat? quanquam nil mirum sit talia dici ab iis qui-
bus poculum populo Gallico concessum, *poculum toxico refertum* (ita Card.
S. Angel. in Concil. Trid.) quibus *panis sacratus cerberi ossa audit*, ita Didacus
Bernardinus seu Iac. Bidermannus Loiolitain *Utopiâ* l. 6. p. 360: Sed un-
de habes Christum dixisse ad calicem Eucharisticum *dividite inter vos?*
non sane ex Lucâ qui τὸ Divide ad poculum paschale heterogeneum ap-
posuit, ac commonefecit eos moris hebræi.

De quo Sanct. ad Jerem. p. 558. quem Græci vocant *φιλοτιμία*, juxta quem anoris, & be-
nevolentiæ gratia prælibatus ab uno calix per omnes circumfertur conditus usitatum id.
esse apud externos docet illud *Virgilii* i. libro *Æneid.* ubi ex veteri ritu Regina prælibatum
poculum per omnes traduci fecit:

*Primaq; libato summo tenus attingit ore,
Tum Bitia dedit increpitans: ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.
Inde alii proceres.*

De antiquissimis Hebraorum temporibus, docet Philo in Iosepho non longe à fine, ubi præbi-
bisse dicitur Ioseph, & idem poculum fratribus propinasse. Sic enim Iosephi dispensator:
Poculum herile pulcherrimum & preciosissimum, ex quo vobis præbibit, surripuistis, Quam
consuetudinem ad tempus usq; Evangelis productam fuisse, argumento est Christi factum,
qui in postrema cænâ cum accepisset calicem, præbissetq; ut est communis Patrum, Do-
ctorumq; sententia, Discipulis quoq; propinavit, i. Cor. 11. & Marc. 14, 23. quod in sacre
Missæ quotidie Ecclesia clamat, dum ore Christi dicit: *Bibite ex hoc omnes.*

Esto autem, referatur τὸ Divide etiam ad calicem Eucharisticum, glos-
sa tamen non congruit, quam refellit Dominus unica vocula *καὶ*, *Bibite*
ex hoc omnes, τὸ ποτὸν ἐστὶ τὸ αἷμα μου. τὸ ποτὸν τὸ ποτήριον ἐν τῷ αἵματί μου τὸ
(non solum juxta Lucam ὑπὲρ ὑμῶν pro vobis XII. discipulis præsentibus,
(sed

(sed & juxta Matthæum) πρὸ πολλῶν ἐκχυνόμενον. Nunc quæ λογικότητι λόγου consequentia? Quia hoc est sanguis meus E. nemo vestrum totum calicem unus exhauriat, sed dividite inter vos. Longe melior hæc est ratiocinatio, bibite ex hoc etiam Laici, quia hoc est sanguis, non pro Clericis solum sed & Laicis effusus. quos ratio præcepti tangit, eodem præceptum ipsum. **ARIST.** Sane Lucas minimè ambiguè istuc describit, cum refert Servatorem hisce verbis usum: accipite & dividite inter vos, nempe singuli ex eadem patera modicum quid sorbillando. Atq; ita plane factum esse testamentum facit Marcus 14. 24. verbis jubare meridiano clarioribus; & biberunt ex eo omnes. Quinam hi omnes? An non Apostoli soli qui ad mensam cum servatore accumbebant? Atq; si diceret sacer scriptor: quibus dictum erat: bibite ex eo omnes, dicto ex amissam obedientem, biberunt ex eo omnes. Jam vero de unis Apostolis capitur hoc posterius: biberunt ex eo omnes, Ergo & de unis Apostolis capiendum illud prius: bibite ex eo omnes. & illis dixit: bibite ex eo omnes: quibus dixit: accipite & edite: Atqui unis Apostolis dixit: accipite & edite. Ergo solis Apostolis dixit: bibite ex eo omnes. **VERAÜD.** Sophisma evolutum sic habet: vel omnes jussi edere bibere, ederunt biberunt, vel omnes, qui ederunt biberunt, sunt jussi edere & bibere, Soli XII, Apostoli ederunt biberunt. E. soli illi jussi sunt bibere. Si major illa est (omnes jussi bibere, biberunt) falsa est, neq; id historiæ tradit. Greg. de Valent. tom. 4. disp. 6. q. 8. punct. 5. §. 2. p. 1175. Affero, scribit, illa verba: Bibite ex eo omnes, ad solos Apostolos dicta esse, non solum, ut erant illa determinatæ persona numero duodecim; neq; ea præcise ratione, quæ erant Christi discipuli, & fideles; sed ut erant futuri deinceps Eucharistiæ consociendi ministri: ac proinde id præceptum ad solos sacerdotes pertinet, qui sunt successores Apostolorum in eo ministerio. Jam constat non omnes Clericos Apostolorum successores tum temporis bibisse. Si ista (omnes qui biberunt jussi sunt bibere.) aperta erit ἀσυνλογισία minor enim virtualiter negabit in prima figura q. d. omnes non Apostoli non biberunt, perinde ac si colligas Quibus dictum est, sequimini regulam Ingnatii Loiola, illi sunt homines. Solis Jesuitis dictum est &c. E. Soli Jesuitæ sunt homines, quicquid igitur extra collegia Jesuitarum Cardinalium est Episcoporum, Monachorum, qui quales fuerunt si nō homines? adde quod hæc ipsa minor nō sit extralitem, si verum est, quod observant eorundem castrorum consecrati: ita enim Jerem. Drexel. 2. rosar. select. B. Virginis. c. 7. An ipso die cæna ultime Virgo beatissima sacratissimam Eucharistiam sumserit, non vanè quarunt eruditi. Sumfisse complures asserunt. Metaphrastes modum explicat. In eadem

idem profus domo, ait, in qua cum Discipulis Christus accubuit, in conclavi tamen diverso, Mater Christi eas foeminas, quae filio ministraverant, excepit. His ad edendum Paschatis agnum collectis Christus Dominus sanctissimam Eucharistiam per Petrum misit. sic eis, inquit Metaphrastes, gratiam referens pro ministerio. Opinio probabilis; cui accedunt Didacus Vega, Sebastianus Barradius, Ioannes Walterius.

ARIST. At haec verba apud Lucam (hoc facite in meam commemorationem) nondicunt expresse, & ut dici solet formaliter: omnes Christiani calicem sumite. nunquid? neq; etiam aequi pollentes. Quis enim dicat haec duo: Hoc facite in meam commemorationem: &, omnes fideles calicem in synaxi sumite, idem significare? VERAUD. Satis est in verbis (Bibite ex hoc omnes) haberi quod volumus, licet in his quidem praecise verbis neq; formaliter neq; aequipollenter diceretur omnibus fidelibus praecipiam esse calicis sumtionem esto praeterea, nec formaliter id dici nec aequipollenter, nam tamen non virtualiter perq; consequentiam? ARIST. Praesertim si quis sedulo exputet, priora verba ad Apostolos dicta postquam panem sacrum cepissent, & antequam de calice mentio inferretur. VERAUD. Esto! ex hac quidem phrasi non elici posse quod intendimus, num non ex illa, BIBITE EX HOC OMNES? quamvis τὸ ὁμοίως finem unum eundemq; in esu & potu compingat, licet praeterea τὸ FACITE non repetant Evangelistae; repetit tamen Paulus à Christo redivivo informatus & paralipomena complet. ARISTOT. Tu vero ex hisce Christi verbis: Hoc facite in meam commemorationem, hanc aut similem conclusionem confice: Ergo omnibus fidelibus divinitus à Christo praecipiam est, ut in Eucharistia utriusq; & panis & vini Symbolis conjunctim & simul utantur. VERAUD. Possem hic feriari, ut qui ex verbis CHRISTI, bibite ex hoc omnes, abunde satis firmarim bibitionis quoad omnes fideles, necessitatem; at ne me defugere tuorum epicherematum commenta querare, ex abundanti argumentum ex verbis Hoc FACITE hunc in modum colligo. Omne dictum Dominicum his verbis conceptum, Hoc Facite in meam commemorationem ac eousq; porrectum donec Dominus redierit ad iudicium, est praecipivum ad omnes fideles: At dictum praesens hoc facite in mei commemorationem est ejusmodi dictum Dominicum. Ergo. Major propositio nititur cum Imperativo (FACITE) qui in primore intellectu praecipendi formam clarè representat, nec aliò detorquendi ulla necessitas urget, praesertim cum Apostolus verba addat praecipiva similia; Edat, bibat! jam verba, deber, renetur & aequipollentia habent vim praecipivam, juxta Bresserum l. 6. confc.

12.
C. II. p. 614. Tum in fine commemorationis annunciativæ mortis Christi, non nunc seculo alterove iterandæ sed ad consumationem usque seculi, qui finis singulos fideles devincit ad obsequium, damnat præreptionem papæ. Nunc audiam quid excipere velis ARIST. *Faxo tibi argumentum, eadem forma, in quo veluti in speculo paralogismi tui absurdam absurditatem contueare. Adverte animum. Quicumque ante synaxim, cœnam sumpsit, & discipulorum pedes aqua lavit, & dixit: hoc facite in meam commemorationem, imò expressius dixit: & vos debetis alter alterius lavare pedes: is in synaxi cœnam præmitti & pedes ante lavari, omnibus fidelibus præcepit. Atqui Christus ita dixit. E. omnibus fidelibus cœnam & lotionem pedum in usu synaxios præcepit. Nunquid major propositio tuæ est gemina? Annon minor ipsius Evangelistæ? Et tamen conclusio falsa. Ergo & antecedentis minimum aliqua pars est falsa. Non Minor, quia est Evangelistæ. Ergo Major, tue Majoris soror. Capin hoc? VERAUD. Ambrosio, Bernharo Tuoque pontifici ac aliis ejus æmulis sanctulis, conclusio non est absurda, qui ex fide se astringi ad pedum lotionem sunt opinati. Ambrosius sensit (ita Tolet. ad Joh. 13. p. 33.) omnibus baptizatis esse hanc ministrandam pedum ablutionem, antequam ad Eucharistiam accedant, & ita ipsemet in sua diocœsi faciebat, quamvis Romanam Ecclesiam, id non servasse fateatur: prodesseque talem lotionem affirmabat, ut baptizati fortiores contra dæmonem fierent, minusque in pugnam contra illum ratione carnalis fomitis, qui in baptizatis remissa culpa manet, succumberent: ad sanitatem ergo spiritualem non ad munditiam lavabantur. Bernardus autem ulterius procedit; affirmans ablutionem hanc pedum esse unum de sacramentis, & prodesse ad remissionem venialium, quibus non remissis, non potest homo ingredi regnum cœlorum; nihil enim coinquatum illuc intrabit. Ex hac Christi lotionem (ita Corn. à Lap. ad h. l. p. 445.) pedum manavit consuetudo Mediolani, & in nonnullis aliis Ecclesiis, ut baptizandis pedes abluerentur ab Episcopo, ac deinde à Sacerdotibus & Clericis in fonte, qui ad hoc erectus erat ante fores Ecclesiæ; Episcopus deinde pedes à se ablutos osculabatur, & posterior pars pedis imi super Episcopi caput imponebatur. Hunc morem refert, & defendit S. Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 1. dicitque eum à S. Petro & Christo hoc loco manasse, unde miratur eum in Ecclesiâ Romana non servari. Et Conc. Toletan. 17. c. 3. sancit, ut Episcopi & Sacerdotes lavent pedes fidelium in Cœna Domini, ad exemplum Christi, jubetque revocari ejus usum intermissum. Hoc autem concilium celebratum fuit Æra 732. hoc est Anno Christi 694. Idem faciunt superiores in multis Capitulis & Monasteriis. Imò Romanus Pontifex quotannis eodem die, ut hanc lotionem Christi repræsentet, solet duodecim pauperibus manibus propriis pedes abluere, eosque deinde nova veste donare, convivio excipere.*

cipere. Porro illotis pedibus hinc ingrederis sacrarium & confundis mandatum Ecclesiae novum, subjectis loco tempore catholicum; cum mandato moris ab antiquo usitati periodico & topico. nusquam Dominus de pedilavio dixit, hoc facite donec rediero; nec de coena paschali dixit hoc facite, sed de lotionem, eaque non ad commemorationem suae mortis sed ad exemplum suae charitatis. Optime Toletus l. cit. p. 44. *Non sunt haec ita intelligenda, ut Dominus velit ad literam, & juxta verborum significationem ea absolute observanda, sed in animi preparatione, ut si opus fuerit, illa proximis impendamus; nec dedignemur opus etiam servile pro salute animarum subire. Rursus ut superiores sic aliis imperent exterius, ut humilitatem interius reservantes, sibi eos, quibus jubent, praeponant. suo exemplo ita Maldonat. ad h. l. p. 427. humiles esse docet, sed speciem ponit pro genere; nam per lotionem pedum, quod omnium ministeriorum humillimum est, omnia exempla, omnia ministeria intelligit humilitatis.*

ARIST. iam ad tuum argumentum, ajo, nec micam vere rationis in eo contineri, tantum abest, ut syllogismus ex sacra pagina compaginatus dici debeat. Major tua non est scripturae VERAUD. Est tamen rationis, ita liquidae & certae ut si tu verus esses Aristoteles, negare per impudentiam non posses. Si enim falsa est mea major, contradictoria erit vera, aliquod dictum Domini, cum verbis praedictis conceptum posse esse non praeceptivum; quae quidem ratione Totum decalogum in irritum revocabis; cujus generale praeceptum est FAC HOC & VIVES. facilis Atheo per te est exceptio, dicturo, Nego esse praeceptum, possunt haec verba non praeceptivè intelligi. ARIST. Tua major non modo falsa sed etiam stupida est. Quasi vero quae Christus Apostolis dixit, ea omnia ad omnes & singulos fideles pertineant. Iussit eos unicam tunicam contentos esse, sine sacculo & pera iter facere, ire in universum orbem, & praedicare Evangelium omni creaturae, idone omnibus Christianis illa mandasse est putandus? Apage nugas & gerras istas! VERAUD. Qua igitur vesania Christi ille (n) fatuellus Franciscus hoc monito solis Apostolis dato se concitari sustinuit ad imitationem, audiens enim quadam die (teste Antonino Florentino summa hist. tit. 23. tit. 2. & Vincentio ad prov. 8. Bellov. l. 30. cap. 98.) in missa quae Christus in evangelio missis ad praedicandum discipulis loquitur, ne scilicet aurum vel argentum possideant, ne peram in via, vel sacculum, vel virgam vel panem portent, ne calceamenta vel duas tunicas habeant; & hac plenius intelligens a probo quodam presbytero, gaudio repletus ait, Hoc est quod quero, & totis praecordiis concupisco. Duplicibus ergo sine mora depositis, ex hoc jam calceamentis, virga sacculoque, vel pera non utens, tuni-

eam plurimum contemtibilem & incultam fecit, rejectaq; corrigiâ funiculo eam cinxit. Quis captatores animarum Ignatianos compellit in novum orbem, si præceptum illud solos Apostolos attinet? **ARIST.** *Nego eandem tuam majorem simpliciter.* **VERAUD.** Eandemne? meamne, à te cavillatoriè mutatam? suntne hæ æqui pollentes: *Quicumq; post datam panis & vini sacrati speciem Apostolis edixit hoc facite in meam commemorationem: is utramque panis & vini speciem omnibus fidelibus in synaxi præcepit.*

Et illa altera

Quicquid Christus circa institutum sacramenti pro omnibus fidelibus Apostolis mandat, id omnibus fidelibus mandat.

Suntne inquam hæ æquipollentes? ô ter quaterq; sophista! possuntne *tibimet* æquipollentes videri, qui inter institutum & præceptum distinguis? Aliàs tuas protervas inficias occupavi jam ante ubi, ostensum, licet sint nonnulla Apostolis mandata ut Apostolis, hoc tamen bibendi præceptum ad Apostolos pertinere ut cives Ecclesiæ, ut fideles, consequenter ad omnes cives Ecclesiæ ex æquo. **ARIST.** *Instituit, pro omnibus sumendum non faciendum.* **VERAUD.** acquiesco, ac addo pro nullis instituisse faciendum, in tuo illo Scholastico-Monastico sensu, quo facere idem est quod sacrificare. **ARIST.** *at pedum lotio & cœna communioni præmissa, panis fractus & benedictus, omnes ex eodem calice haurire jussi fuerunt, nemo tamen inde recte conficiat, hæc res omnes nobis in synaxi deinceps ex lege à Servatore lata observandas esse.* **VERAUD.** aliena omnia! nuspiam dixit Dominus, lavate omnes ac omnibus pedes usq; dum rediero ad judicium; nuspiam agnum paschalem cœnate; nuspiam panem frangite eousq; nuspiam benedicite omnibus benedictione sacramentali; sicut dixit bibite ex hoc omnes, usq; dum rediero **ARIST.** *Quid ages, si quis dicat illis Evangelistæ verbis nudam sacramenti institutionem explicari, nullam vero præceptum de ejusdem usu contineri?* **VERAUD.** dicam quid acturus sim, distinguam inter institutum status vitæ, & ritus Ecclesiæ testamentarii sacramentalis, subjectis ac tempore Catholici. Concedo illic ab instituto ad præceptum universale non valide concludi; nego non valere hîc, si quis Jesuitis aliquot millia testamento legasset, nec tamen præceptivè ut acciperent, edixisset, quibus oculis essent aspecturi eum, qui sub prætextu legati instituti non præcepti, illis legatum præceptum iret? limis profecto, ac indignabundis? Tyria moturi essent maria, ne præda elabatur. **ARIST.** *Ne perpetuo rigeam, aliquid tibi gratis donabo, legem sc. à Christo sancitam in verbis. Hoc Facite!* **VERAUDAN.** *Christus ergo dicendo:*

do: hoc facite: precepit nos facere quod ipse fecit. Atqui ipse utramq; speciem dedit. Ergo utramq; speciem dari precepit. Nonne hic jam teneris Aristoteles? ARIST. Simplex caput es, qui Aristotelem tam levicula re teneri putes. Distinguo majorem. Precepit facere, quo ad substantiam communionis, quod ipse fecerat, concedo. quoad cetera adjuncta & circumstantias accidentales, nego. Sumptionem corporis & sanguinis Christi preceperit. Id tibi hoc loco, etsi probare non quiveris, ultro dare placuit. At utramq; speciem precepisse, nemo concesserit, nisi qui eo amenti & venit, ut putet Christum etiam lotionem pedum & coenam paschalem, & fractionem atq; benedictionem panis (quas res ipsiusmet non minus quam geminam panis & vini speciem, usurpavit) omnibus fidelibus precepisse. VERAUD. Hic vero apparet ille involutus, qui haectenus latuit, anguis. Tua opinione sumtio sanguinis Christi in vino per bibitionem accidentalis est ac adiaphora cerimonia. *σούτως* igitur & sumtio per esum erit adiaphora & accidentalis cerimonia: poterit igitur & hæc, ac unà tota eucharistiæ celebratio omitti, dummodo id alicui concilio placuerit. Ego vero assero sumtionem per bibitionem esse actum essentialem sacramenti & necessarium, esse partem essentialem non solum integralem, quo sine non duntaxat mutilum sit sacramentum sed plane nullum.

Id omne quod ex Institutoris voluntate præceptū est; est enti ex instituto pendenti (quale est ens sacramentale.) essentialis ac necessarium. Bibitio sanguinis Christi in vino, est ex Institutoris voluntate præcepta. Ergo Bibitio sanguinis Christi tanquam ens sacramentale ex instituto pendens est essentialis est ac necessaria.

Major propositio nititur inductione omnium entium ex instituto ac nominatim, testamentorum, fœderum, legum, mensuratum, signorum, &c. Minor paulò superius est firmata.

ARIST. Consequentia scazonica est; ni ex scriptura fulcis, ruit: probas ex textu. Tibi ex textu ea probanda major est, aut fatendum ex textu illo præceptum de utraq; specie à te probari non posse. Quare, contende nervos syncipitis tui, quantum potes maxime. Etenim vel majorem à me negatum ex textu illo probatam dare quis, vel non quis. Si quis, face ut audiam. Si non quis, id fatere, & eadem operà te ex textu illo nullum præceptum conficere posse fateberis. Vos Lutherani jaçtatis, omnia quæ fidem divinam concernunt, in sacris literis clare & perspicuè contineri. Additis, præceptum de utraq; specie fidem omnino & religionem Christianam cum primis concernere. Quidni ergo te virum semel hic præstas, & præceptum illud clare & perspicue mihi demonstras? Certè quæ hucusq;

*in medium attulisti mihi non modo inclara & tenebricosa, sed etiam aperte sunt
falsa. VERAUD.* Instantia plusquam est scazontica. primùm *confusa*:
petit probationem majoris in minore, & minoris in majore: bibitionis
præceptum probari, cupis in ea propositione quæ bibitionis nullam
mentionem fecit: *te, Aristotele vero, indigna.* Tunc philosophus es,
qui ratione utitur, & tamen ad rationem tanquam gorgoneum caput
totus cohorres, stupes? ô caput stupidum! Tunc tam sycophanticè
mentiri audes, nos jactare, omnium eorum quæ fidem concernunt, ex
scriptura inorganicâ, sine ulla consequentiarum famulatu, nudâ factam
probationem. Contrarium toto commentario ostensum est in pole-
mosophiâ nostra. p. 284. deniq; *vertiginosa.* Is enim Aristoteles qui sibi
meam majorem ex textu probari contendit, non admissurus eam nisi ex
textu probetur; sui paulò post immemor scribit: *Ut quid è sacris oraculis,
non puerorum more frivole, sed Theologicâ ex lege graviter & evidenter, & in-
fallibiliter per syllogismum conficias, necesse est Veraudane, primum, ut formâ
Argumenti & Figurâ & modo Dialectico examussum probe constetutum deinde, ut
vel utraq; Antecedentis præmissa ex ipso indubie scripturæ textu capiatur, vel si
quidem una tantummodo capiatur, alteram non modo veram sed ita certam & e-
videntem esse oportet ut minimè vacillet.* Cæterum ut Sathan nunquam sic
se offuciis tegere & Angelum mentiri potest, quin pedem unde agno-
scatur denudet; ita nec tu Aristotelem stagiritam tam callidè mentiri
potes, quin voce te prodas rudentem. Sic enim rudis: *Sequitur sem-
per partem conclusio deteriore.* Ex præmissa vera, evidente supernaturali, si
alteram ei falsam, obscuram naturalem socias, nunquam nisi false obscure & na-
turaliter concludes. Accipe scævum paradigma. *Omnes homines nullo excepto
sunt filij diaboli. Atqui Christus est homo. Ergo Christus est filius diaboli.* Hor-
rescis blasphemiam? Tamen minor est vera & scripturæ. At sola major falsa pe-
perit hoc monstrum. Iterum: *Omnes Apostoli fuerunt proditores: Atqui Io-
hannes fuit Apostolus Ergo Ioannes Evangelista fuit proditor.* iterum con-
clusionem falsam ex majore falsa, quantumvis minor sit vera & ex Evangelio de-
prompta? Senem rude donandum, tam ruditer rudere! Tam ἀλόγως
nugari, eum qui logicæ Magistrum emeritum docere vult rectæ argu-
mentationis rationem? tam obliviosum esse Aristotelem ut non ei suc-
curat quod in Analyticis docuit, ex falso posse sequi verum. Conclu-
sio sequitur partem debiliorem in quantitate & qualitate propositionis,
concedo! in veritatis aut falsitatis conditione? nego. En tibi instantias:
Omnis Loiolita est senex. Orecanus est Loiolita E. Orecanus est Senex.
Major

Major falsa est minor vera, conclusio non falsa sed vera. Omnis Petri
 successor est iudex infallibilis; Innocentius X. est Petri successor E. in-
 infallibilis. Conclusio per vos est de fide, major revelata; at minor natu-
 ralis est sive ex naturali lumine agnoscenda. unde Molina vester apud
 Mendozam statuit *conclusionem Theologicam deductam ex uno principio de fide*
& altero naturali esse supernaturalem, Nam si, quod Melchior Canus l. 6.
 loc. c. 8. p. m. 331. dedit, *conclusio pontificis necessaria ac de fide, esse potest e*
premissis non necessariis, in quibus pontifices falli possint. In conclusione, inquit,
 pontifices summi errare nequeunt, si fidei questionem ex apostolico tribunali decer-
 nant: sin vero pontificum rationes necessariae non sunt, ne dicam aptae, probabi-
 les, idoneae, in his nihil est immorandum. Item si etiam pontifices huiusmodi po-
 nendis causis falluntur, non sunt calumniandi. quid ni pari ratione conclusio
 fidei nascatur ex alterutra praemissa rationis? Omne interpositum inter
 solem & terram in eo situ & cardine, quem Astronomi definiunt, est ecli-
 psum. Luna est interposita inter solem & terram &c. E. Luna est
 eclipsata. Consequens homogeneum est non minori contingenti adeo-
 q; debiliori, sed majori necessariae. Sic lignum constans e quatuor ele-
 mentis in movendo sequitur naturam non cujuslibet partis continentis,
 sed *τὸ ἐπιεγόνον* & praedominantis: ita proles nomen genusq; habet à
 Patre: decretum ab Ahasvero, ope & servitio Hammanis conditum, re-
 gium vocatur, non Hammanicum: tale & decretum papale, Cardina-
 lium ope sancitum non Cardinalitium audit, sed Pontificium. Vinum
 in vestra missa constans admixtione aquae, non dicitur aqueum, sed suc-
 cus vinosus, adeo verum est, denominationem fieri à potiori. Finge
 Ethnicam, qui nullam scripturam S. admittat, cui nulla ratio persuadeat
 possibilitatem resurrectionis, is tamen credat fabulam de phœnice e
 suis cineribus reseminato, annon ex falso hoc Patrum nonnulli illud ve-
 rum concluderunt, resurrectionem esse possibilem? Sic verus Aristote-
 les negans genus humanum aliquando coepisse, non alium primum
 fiendi modum agnovit nisi productionem ex vermiculis aut ovis, sic e-
 nim ille l. 3. de gener. animal. c. ult. *Quare & de hominum ac quadrupedum*
ortu non absurde quis conjiciat, si olim ex terra editi sunt, id duorum modorum
altero evenisse, aut ut vermiculi primum existerent, aut ut ex ovibus ederentur.
 Utrumq; hunc modum cum explicasset addit: *ὅτι μὲν ἐν εἴπερ ἦν τὴν ἀρ-
 χὴ τῆς γενέσεως πᾶσι τοῖς ζώοις, εὐλογον δεῖν τέτων εἶναι τὴν ἔτερον φανερόν.*
Quare si quod initium existendi animalibus fuit, id altero de duobus istis modis con-
tigisse manifestum est. Inde rectè colligit hoc verum, genus humanum,
 (si pri-

32.
(si primam, ejus originem *species*) fuisse ἀγέννητον ingenerabile, Syllogismi à te allati nihil aliud probant, nisi regulam tuam esse particularem aliquando ex una præmissa falsâ, alterâ vera sequi falsam; id vero non semper accidere demonstratum est.

ARISTOT. Ego te magistrum & novum Rabbi in Israel docebo quomodo altera species possit esse substantialis nec tamen essentialis & necessaria. *Lacuti & quavis alia substantia &c.* vide reliquum nugarum contextum in ipso dialogo *Orecazo &c.* VERAUD. Quot unguium morfiunculis hæ torfiunculæ tibi constiterè? alios tuis strophis falle, à me non nisi antistrophon expecta Doctor intempestive, quem verborum præstigiæ produnt *nugatorem, circulatorem, Asophum.* *Nugatorem!* Solvere non potes argumentum, fugis ad nugas otiosas. te ego doctore non egeo in agnoscendâ differentiâ partium substantialium & essentialium: dudum id me docuit verus Aristoteles à quo tu tam es alienus, quam simius ab homine vero. *Circulatorem!* ponistanquam utrinq; concessa: Sacramentum Eucharistiæ constare in *Symbolis externis, corporis & panis & Christi; Item sanguinis & vini.* *νοινωίαν* sacramentalem professus est Apostolus non item Christi & panis, Christi & vini. Tenerrima res est fides, nec sustinet componi quæ Dominus divisit. Rursus *materiam sacramenti constare corpore Christi in pane; sanguine Christi in vino; Formam in actionibus sÿstaticis credimus; at sacramentum totum in corpore & sanguine sub nubellis specierum contentum consistere, sine actionibus sÿstaticis, tu quidem securè ponis, nos negamus.* Iterum & *panem solitariè sumptum & scorsim totum CHRISTVM cum corpore & sanguine exhibere, tu asseris audacter sed nondum probasti.* Ter quaterq; *Asophum!* Cujus enim ista sunt portenta nisi Asophi? 1. *Totius ex instituto pendens divisibilitas in partes integrantes; eadem stoliditate possis Ulnam dividere in partes integrantes! lignum Ulnæ divide, Ulna non manebit, est enim mensura secundum Aristotelem genuinum εν ἀτόμω.* dicere hîc fas est cum *Uctis navim si divideris, non manebit navis; ita si sacramentum!* 2. *Totius sacramentalis comparatio cum illo totorum genere cui est dissimilimum, neglectio illius cui similitimum.* Totum integrale est in continuis non dissectis entibus. Sic enim Armand. de Bellovis. *Totum integrale est, quod continet plura constituentia unam essentiam, non per modum actus & potentiæ, sed per modum continuationis ut in toto continuo, ut ligno; vel per modum contiguationis vel colligationis, ut in domo, arca vel lecto.* Rectior omnino analogia horum actuum, cum toto numerali, quod Armandus Bellovisius reliquis Totius generibus addidit. Jam, quod numeris

meris est analogum, id in indivisibili consistit, uti præclare disputat Aristotel. libr. 8. Metaphys. cap. 3. t. 10. Quam absurdum est senarium appellare, ubi unica deest ad complendum senarium unitas, tam absurdum est actum formalem sacramenti eximere velle, salvo sacramento. 3. *Redactio panis & vini inter partes integrales minus principales*, tales sc. quæ si assunt, rationem sacramenti participant, si absint eius essentiam non tollunt. Tam igitur sine pane & vino sacramentum esse poterit quam potest esse homo sine pedibus & manibus. 4. *Analogia quesita in toto similari cum dissimilari*; vel formæ materialis quæ inest suæ materiæ divisibiliter, cum tali personâ quæ (ut contendunt vestri, omnia minutissima hujus mysterii scrutantes, penetrantes, ad unguem definientes) cum est in sacramento, est per modum ubi definitivi, sicut anima humana tota in toto & tota in qualibet parte. id quod tu ipse agnoscis cum scribis *& panis solitariè sumptus & vinum seorsim, totum Christum cum corpore cumq; sanguine exhibent sumentibus*. Ut igitur se habent partes hominis ad animam totam in toto & totam in qualibet parte; ita se habet panis & vinum ad Christum corpore & sanguine præsentem; at anima in pede non videt, in oculo non ambulat; ita Christi sanguis in pane non se præbet bibendum; ac ut corde evulso homo nullus est, pede amputato mutilus; ita sacramentum sub una specie dispensatum vel nullum est (si sacramentum sub alterâ specie pro parte principali habetur) vel mutilum si pro minus principali, Quomodo hæc talia congruunt cum (θ) Philosophiâ Stagiri-
 ricâ? ARISTOT. Satis hæctenus de majore tui syllogismi quam ita munisti ac defendisti, ut nisi aliud mihi effugium esset super hasta, clypeoq; jacto pugnam desererem. Sed bonum factum, quod alia elabendi rima patet, quam si æquè validè occludes, ibo ego cum meis instantiis ad Gyaros. Igitur ad minorem accinctus, eam nego: ajo esse falsam: Aud'o quidem ex ore Domini, τὸ ΗΟC FACITE, sed cum addito: quotiescunq; biberis. Non jubet absolute facere, sed cum conditione, si bibant, jubet in sui memoriam bibere. Ergo satis declarat, per ipsum licere nobis à calice abstinere. Quisquis edicit: quotiescunq; Rhenum transmiseris nautum persolve: non jussit hercle Rhenum transmittere; ita Servator cum sic locutus est: quotiescunq; biberis, in meam commemorationem id facite: non praecepit bibere.

VERA UD. Domi habes, qui te explodunt ac præstigiastuas refellunt, audi in nostris castris versantes (ι) Gregor. de Valent. Verba ejus paulo ante recitata sunt, addit: Non est igitur ullo modo assentiendum

e

iis, qui

(θ)
l. d. metaph.
c. 26.(ι)
Tom. 4. q.
8. disp. 6.
punct. 4. p.
1167.

is, qui putaverunt, absolute quidem non extare preceptum divinum de
 sumenda Eucharistia; sed tantum de referendo ipsius usu ad Christi commemo-
 rationem, quandocumq; illa sumeretur. Quod etiam hic Cajetan. art. 11. putat
 defendi posse. Sed fallitur. Nam quamvis hæc etiam omnino sit vis illius precepti,
 sicut colligitur ex Paulo. I. Cor. 11. & ex modo item ac verbis, quibus sententiam
 illam Christi, Hoc facite in meam commemorationem, recitat Ecclesia in Missæ
 Canone; tamen non id solum à Christo imperatum est; sed omnino sensus hic est,
 Hoc facite, & facite, cum feceritis in meam commemorationem. (κ) Vasquez.
 Disp. 213. c. 2. n. 9. seqq. Cajetani glossam refellit non solum ex testimonio Conc. Trid. sed etiam
 ratione ex ipso textu Lucæ & Pauli deducta. Precepit igitur Christus illis
 verbis: (Hoc facite in meam commemorationem) sicut interpretatur Concilium,
 ut ipsa sumptione commemoremus passionem ejus, & non tantum, ut quoties illud
 sumeremus, passionem ejus in memoriam revocaremus, ac proinde præcepit, ut su-
 meremus. Nam qui præcepit, ut opere aliquo commemoratio fiat alicuius benefi-
 cii accepti, ex modo ipso præcipientis, præcepit etiam ut fiat opus ipsum. **QUIS**
HOC NON VIDEAT? Fr. (λ) Suarez præceptum communicandi, scribit, sup-
 posita institutione hujus sacramenti & sine illius & efficacia & fructu illius, homi-
 nisq; fragilitate, necessario consequi & quasi naturaliter ex tali institutione, tum
 quia usus hujus sacramenti est maximè utilis & moraliter necessarius ad salutem
 animarum. E. ex lege propria necessitatis obligatur homo ad utendum illo, sup-
 posita ejus institutione & efficacia, & mox ibi secundum Testimonium continetur in
 illis Christi verbis, quæ referunt Lucas c. 22. & Paulus I. Cor. 11. Hoc facite in
 meam commemorationem: præmiserat autem. Accipite & comedite: seu (bi-
 bite) & hoc solum Apostoli tunc fecerunt communicando, & sacramentaliter su-
 scipiendo hoc sacramentum: E. hoc præceptum, significatum in illis verbis (Hoc
 facite) cadit super hujusmodi usum talis sacramenti, & non pertinuit ad solas A-
 postolorum personas, sed ad universam Ecclesiam quæ in illis representabatur. E.
 per hæc verba datum est præceptum universe Ecclesie recipiendi hoc sacramentum
 in CHRISTI memoriam. & mox, huic Testimonio magnam vim adhibuit
 Concil. Trid. sess. 13. c. 2. dicens: Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad
 Patrem, sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memo-
 riam præcepit, suamq; annunciare mortem, donec ipse ad judicandum veniat, sumi
 autem voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum &c. Ex
 quibus verbis non solum testimonium hoc roboratur, sed etiam ista sententia, quam
 confirmare intendimus, sufficienter probatur, & prima difficultas tacta expedi-
 tur: declarat enim concilium, Christum non tantum præcepisse nobis, sub condi-
 tione, ut recoleremus memoriam passionis ejus in hoc sacramento, si vellemus illo.

uti, sed simpliciter praecepisse, ut in illius sumptione sui memoriam colerentis: nam
 quia voluit, ut hac memoria frequens in nobis esset, ideo & hoc divinum memo-
 riale nobis reliquit, & illo nos uti praecepit, & hoc est, quod Concilium adunxit,
 dicens (sumi autem voluit) ibi enim verbum (voluit) voluntatem praeipientem
 indicat, & positum est, ut aequivalens superiori verbo (praecepit) ut plane ex contex-
 tu constat. Nec dici potest, Concilium ibi non loqui de sumptione Laicâ, seu privatâ
 sed tantum de sacerdotali & publica, quae à Sacerdotibus nomine omnium fieri
 censetur, ita ut sicut universa plebs per Sacerdotes censetur offerre, per eisdem
 etiam memoriam eius recolere, seu in memoriam eius sumere censeatur: hac e-
 nim expositio est valde violenta, quia nullibi est talis usus loquendi, quod plebs
 communicat, vel sumat per Sacerdotes, quamvis interdum dici soleat Sacerdos in
 persona omnium sumere, ut patet apud D. Thom. intra art. 12. ad 7. Praeterea
 dicta expositio repugnat menti Concilij dicentis: sumi autem Sacramentum hoc,
 tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes
 vita illius, qui dixit, Qui manducat me & ipse vivet propter me, ubi evidenter
 est sermo de manducatione omnium fidelium: Hanc E. dicit Concilium fuisse à
 Christo praeceptam. Et revera, supposita institutione huius sacramenti, sumere
 illud ut sacramentum est, & sumere in Christi memoriam, non sunt duo, sed u-
 num & idem: nec fideles, quando hoc sacramentum recipiunt, aliter tenentur
 illud sumere in Christi memoriam, quam sumendo illud ut revera in se continens
 Christum ipsum, qui pro nobis mortuus est: E. praecepere sumptionem huius sacra-
 menti in Christi memoriam nihil aliud fuit, quam praecepere sacramentalem usum
 eius. ibi: respondet ad glossam Caietani p. 831. Atq; ex his patet solutio ad pri-
 mam difficultatem: aliquando enim similes locutiones habent sensum ibi expli-
 catum: tamen quando illa determinatio, seu modificatio continet propriam &
 essentialem rationem actus praecepti, non intelligitur tantum praecepta conditio,
 ut specificatio actus, sed absolute actus sub tali conditione, ut cum dicitur, Diliges
 Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Non tantum est sensus, cum dilexeris,
 diliges hoc modo, sed simpliciter est praeceptum, ut diligamus tam perfecto amo-
 re, & similia possent multa afferri: Sic E. in presenti additur illa determinatio
 (in mei commemorationem) non ut ad illam limitetur praeceptum, & non sit etiam
 praeceptum faciendi id, in quo recolitur talis memoria, i. e. sumendi Eucharistiam,
 sed ad explicandum potius hanc sumptionem, quae praecepitur, debere esse sacra-
 mentalem, i. e. ex fide Christi, & institutionis eius profectam, ad significandam, &
 recolendam passionem eius, & talem sumptionem esse quae praecepitur. Et, quanq;
 quis contendat, hunc sensum esse saltem ambiguum, tamen nemo negare potest, esse
 verbis satis accommodatum, & ex verbis ipsis Concil. Trid. ambiguitatem fere al-

latam. Quod tamen potest ex secunda difficultate tacta ita confirmari: nam, si illa expositio admittitur, sequitur etiam in illis verbis non contineri preceptum sacrificandi, consecrandi, aut dispensandi hoc sacramentum quoad exercitium, sed tantum, quoad specificationem, seu sub conditione, quod, si hæc fiant, in memoriam Christi fiant: Est enim in utraq; expositione equalis ratio: consequens autem est aperte falsum, & contra expressam Concilij sententiam in altero loco citato: non est E. ille sensus illorum verborum, sed per ea actus, & exercitium ejus absolute præcipitur: simul autem modus talis actus & ratio institutionis ejus significatur. Illa verba, Hoc facite, & cætera, directe ac per se dicta esse ad Apostolos, ut sacerdotes, & actiones sacerdotales eis præcepisse, inter quas non sola oblatio, vel consecratio, sed etiam Eucharisticæ dispensatio continetur: has enim omnes Christus exercuerat, omnesq; sacerdotales muneris sunt, & Pronomen, hoc, absolute totum Christi factum demonstrat, & non est ratio, ob quam magis una actio, quam alia excludatur: Preceptum est E. Sacerdotibus per hæc verba, ut dispensent hoc sacramentum: & hinc aliis etiam consequenter præceptum est, ut sumant, quia dare & sumere correlativa sunt, nec unum sine alio impleri potest: Hoc enim modo ex eo, quod Christus dixit Apostolis, Baptizantes eos, colligimus, aliis præceptum esse ut Baptismum accipiant, & ex eo, quod Apostolis dictum est, Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, colligit Ecclesia, aliis præceptum esse, ut confiteantur, & ex eo, quod Petro dictum est, pasce oves meas, colligimus ovibus præceptum esse ut pareant. Nodum in scirpo quærit Greg. de Valent. cum discrimen ponit in præcepto edendi & bibendi, Quod inquit p. 1176. Christus peculiari illo modo dicendi (quotiescunq; bibetis) usus est; argumento est, id præceptum non fuisse ita absolutum & generale, sicut fuerat illud de consecranda & administranda, & sumenda specie panis. Ibi enim absolute & generaliter dixit. Luc. 22. 1. Cor. 15: Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis recte intelligi potest, Christum absolute præcepisse, non modo relationem, seu ordinem actus ad finem, nempe ut fieret ad commemorationem Christi passionis, sed etiam ipsum exercitium actus absolute. Ut sit sensus: hoc totum facite circa panem, & facite ad meam commemorationem. Vbi plane assentior Caietano hic art. 12. qui verissime dicit; Luce meridiana esse clarius, quod Christus non præceperit absolute his verbis, ut illud circa calicem facerent, atq; adeo neq; biberent, & administrarent ad bibendum, sed tantum ut facerent in suam commemorationem, quotiescunq; id alioqui fieret, id est, nõ ut actionem ipsam absolute exercerent, sed ut eam certe referrent ad illum finem, quandocunq; eam exercerent. hæc ille! Esto D. Paulus hypotheticè locutus sit, tamen absolute Christus dixit, Bibite ex hoc omnes: nec ratio ad finem excludit præceptum.

ceptum ad exercitium actus : nec hypothesis annexa semper suspendit actum. Samaritanus Luc. 10, 35. mandat hospiti, ut fauciati hominis curam gerat, addit, si quid præter duos denarios insumserit, se redditurum, sensus est iste, hoc age, cura ægrum, si, quotiescunq; & quantumcunq; curaveris, impenderis, in spem meæ retributionis age, an hospes ideo potuit curam prorsus intermittere ? similis sententia est quarti præcepti, *honora Patrem*, quotiescunq; honoraveris, id facies in gratam beneficiorum paternorum agnitionem : num ideo pater non est necessario honorandus ? Ita sane se habent præcepta affirmativa, ut tametsi revera, ac semper obligent, tamen non ad semper. Unde omne præceptum affirmativum habet hunc sensum, hoc fac, & si feceris, si circumstantiæ & causæ adsunt, quibus quod præceptum est, fieri oportet, facies in honorem nominis divini : neq; huiusmodi præcepti forma est absurda, ut contendit Greg. de Valent. loc. citat. *alias*, inquit ib. *hic esset sensus eius præcepti : Facite hoc, quotiescunq; hoc ipsum facietis. quam præcepti formam nemo non videt esse absurdissimam. Nam posito quod aliquid fiat, necessario fit. Quare minime opus est præcepto, ut fiat tum, cum fit. non est, inquam, absurda. Tametsi enim in sensu composito, unumquodq; dum fit, necesse sit fieri; tamen in sensu diviso, hinc & nunc non est factu necessarium. Tannerianæ assimilationi, (quæ extat. l. cit. n. 164, *Si quis inquit Princeps has sui convivii liberaliter instituti leges dicat. I. Quisquis huic mensæ accubuerit, vel ex meo poculo biberit, mei memoriam celebrato, II. Profanus ne adesto, aut deinceps semper abesto. III. Manus prius lavato; & sic haurito. IV. Sordibus accumbens punitor &c. Anita præcipiens, ullo præcepto adigere censeretur aliquos ad convivandum, nedum ad poculum hauriendum ?*) deest tò hoc facite. si huiusmodi princeps convivium instituisset, atq; sic dixisset OMNIBUS subditis, esurientibus ac sitientibus, *edite, bibite, hoc facite*: quisquis autem huic mensæ accubuerit, eiq; meo poculo biberit, mei memoriam celebrato, annon præcepto adigeret ad edendum, bibendum, etsi tempus edendi & bibendi liberum reliquisset ? Inter omnes comparationes nulla est stolidior ac alienior quam illa tua : Quotiescunq; Rhenum transmiseris naulum persolve : Corrige dictum ut congruat ad verba Domini : dicat Episcopus aliquis, in suo testamento suis Clericis, *Ite transmcenum, & quotannis ibidem in illo sacello missam celebrate, Hoc facite quotiescunq; trans ibitis in remediū animæ meæ. Quis tam surdaster ut hinc præceptum non audiat, Eundi, faciendi, minim eâ libertate clericorum suspensum ?**

ARIST. iam fateor me ad incitas redactum esse, exhaustus sum funditus, nihil suppetit quod respondeam captissimum me sentio & doleo. VERAUD. Ergo cede DEO, cede argumentorum robori, rationibus tuorum ficulneis nuncium mitte, præsta quod es stipulatus. Agnosce sacrilegium calicis, nec in posterum Aletheam calumniæ posce. Quod ut evidentius animo tuo succurrat, attēde quid olim accidisse famā traduce acceperim. Fuit aliquando pontifex Romanus morti vicinus, is religiosorum ordinum quos Roma extra intraq; pomæria fovebat, primarios, Benedictinos sc, Franciscanos, Dominicanos & qui serò reliquis accesserunt, Ignatianos ad lectum advocavit, iisdem postremum vale dicturus, ac in eorundem Nosodochium ad agrorum sanitatem duas inæstimabiles & incomparabiles thesauros *Bezuarem lapidem* è (μ) Peruvio Tramontano novi orbis regione, pridem allatum, serico involutum, à Petro de Viatoriâ Hispano sibi donatum; & *unionem Cleopatrae* illi, dignitate, precio, virtute longe superiorem in calice contentum, legaturus, in hæc verba cœpit *Accipite, edite, hoc est Bezuar pro vobis datum, hoc facite in mei commemorationem. Similiter: Accipite bibite ex hoc omnes, hic enim est Vnio pro multis eliquandus, ad morbi depulsionem. sive hic calix est novum testamentum in Vnione meo vobis eliquando. dividite illum inter vos. Hoc facite quotiescunq; biberitis in mei recordationem.* Simpliciter intellectu, sine obliquo artis fucive, hæc verba capiunt, intelligunt, utuntur prænominati primores religionis: Testator diem obiit supremum; pauculo post temporis intervallo, illi ipsi primores vitam cum morte commutant. Quid sit? Ignatiani monopolæ, comitia sui ordinis cogunt ac decernunt. hoc non obstante, quod Testator ô *Deiva* donorum suorum dispensationem sub utraq; serici & calicis specie instituerit, tamen in posterum Ignatianis solis *Bezuar* & *Vnio* in utraq; specie, reliquis ordinibus *Bezuar* in unâ solum specie inq; serico dispensentur. Audito hoc decreto reliqui ordines præcipue Dominici murmurant, conqueruntur de injuria, de rapinâ boni communis, atq; inter eos Thrasybulus aliquis, Rapacidarum, ait, familia est Ignatiana; parum fuit vacantibus olim nostrorum ordinum bonis, perinde ut canis Æsopicus, umbram fugacem gulosiori rictu captans carnis obsonium amisit, inhiasse; nisi etiam thesauro nos privarent incomparabili, quo nos æque ac illos ô *Deiva* pridem donavisset. ô phalarismum! Igitur ex Ignatiana Familiâ aliquis Senecio, Rabula, logodædalus, Quid, regerit, conquerimini morosi? Integrum hæreditatis legatae assem vobis relinquimus. Ecquid amabo testator aliud nobis moriens legavit, quam

(μ)
apud Biffellium l. 14.
Argonaût.
Amer. n. 6.
P. 430.

quam Bezuar & Unionem suam involucris serici & calicis tecta? annos
hoc totum sub specie serici abunde præstamus! Id vero, inquit Thrasyl-
bulus non facile hujusmodi verborum lenociniis dementabilis, credat
Judæus Apella! Verba testamentaria sunt tennerrimi sensus, arctissi-
mè tenenda. Testator voluit ne quocunq; modo, sed bibendo eliquatum
Unionem accipiamus. posito, non cõcepto, Bezuar ac Unio naturæ quo-
dam coagulo in unam massam coaluerint; Testator tamen voluit seorsim
exhiberi; præcepit hæc lege, quam ipse fixerat, accipi. *Quid si vero* inquit lo-
godædalus, *nullum hac de re sit præceptum, numquid frustra eritis?* Thrasyl-
bulus contra. at dixit, *Bibite ex eo omnes.* addidit vero, regerit Rabula, *dividite*
inter vos, nunquid non hoc Testator præcepit ut ne unus totum calicem
hauriret? sed primorum singuli sibi exinde libandum & pitissandum
scirent? pergit *quasi quæ Testator primoribus religiosorum dixit ea omnia ad*
omnes & singulos religiosos post futuros pertineant? subjungit non sequi
bibite omnes. Ergo omnes monachi: nam & sic ne Lutheranos quidem ex-
clusisset Papa sibi extremè invisos. Ad quid, Thrasylbulus respondet, istud
moneri opus erat patres tam religiosos, tam charitati devotos, tam ex-
tra suspicionem monopolii positos? annon addita ratio est, ideo bibite
omnes quia non pro vobis solum (præsentibus primoribus) sed pro mul-
tis aliis margarita eliquanda? annon in Nosodochia thesaurum suum
tam prolixè contulit, ut eo fruerentur non duntaxat præsentis patriar-
chæ religiosorum, sed & nati natorum? hæc lex hæreditatis est non
scripta, sed nobiscum nata, ad posteros quoq; superstites pertinere, quæ
patribus legata sunt. Deniq; omnes intelligit sui beneficii capaces, quales
non sunt Lutherani per fulmen bullatum cœnæ Dominicæ ab hoc faler-
no depulsi. *Quid ages*, inquit Rabula, si quis dicat illis *Testatoris verbis nu-*
dam institutionem explicari, nullum vero præceptum de ejusdem usu contineri.
Quicquid, respondet Thrasylbulus, Testator qui est cum imperio insti-
tuit accipiendum, faciendum, id mandat. Rabula contra, e-
sto ait, *sit præceptum, tamen id solam communionis substantiam spectat, non ad*
utramq; speciem, quæ pars est non essentialis sed integralis non necessaria. Thra-
sylbulus, voluntas, inquit, Testatoris mihi lex est & mensura, quod ille
voluit fieri ad essentialiam rei volitæ spectat. pergit Rabula, at *Testator cum*
addidit, quotiescunq; biberitis, non jubet absolute facere, sed cum conditione, si
bibant: Ergo satis declarat per ipsum licere nobis à calice abstinere. Respon-
det Thrasylbulus, satis est, ante edixisse BIBITE, nec bibendi actum à
libertate nostra suspendisse; nosti quam papæ debem⁹ obedientiam? cœ-
cam

camillam sc. quam se debere professus est Ignatius aliquando sine remis navigaturum, si papa jubeat. Hæc summa actionis fuit inter partes, quæ si hodie ad Tiberini Apollinis tripodem referatur, pro quo autumas eum judicaturus? sane nisi omnem rationem emancipasti, subodora- bere, pro Thrasylulo dictum iri, *Tu vicisti, Logodadalus succubuit.* Sed satis hætenus de præcepto biblico, in quod hætenus detonuit, nunc fulmi- nat Væjovis ira!

ARIST. *Ego vero ab usu antiquo velut optimo legis interprete, telum omni fulmine penetrabilius in te & imaginariam legem tuam sic depromo. Majores nostri, qui à condita Ecclesiâ ad nostram usq; ætatem insigni religionis & probitatis laude floruerunt, nullum utriusq; speciei ab omnibus sumendæ divinitus impositum præceptum agnoverunt. Ergo nullum à Christo datum fuit. Ecquis enim credat illos rem tanti momenti communiter ignorasse? Antecedens probo. Nam primum nullus omnium è tanto numero scriptorum unquam divini illius præcepti mentionem fecit.* VERAUD. ô plumeum fulmen, quod è testimonio negativo a logicè colligit, à silentio florentium patrum, ad negationem absolutam; adq; ignorantiam eorundem; quasi omnes Ecclesiæ Doctores flore Ecclesiæ circumscribantur; non multi in primâ seculorum triade tyrannide pressi fuerint, ne florere ac suffragia veritatis palam edere possent. nota est Prudentii querela:

O vetustatis silentis	Ne tenacibus libellis
Obsoleta oblivio!	Erudita secula
Invidetur ista nobis	Ordinem tempus modumq;
Fama & ipsa extinguitur	passionis proditum
Chartulas blasphemus olim	dulcibus linguis per aures
Nam satelles abstulit	posterorum spargerent.

quasi ignorarint quod literarum monumentis non prodiderunt! Sæpè scientissimi nihil ad memoriam posterorum consignant. Ego vero in præsens satis præsidii habeo, si Dominus ipse & patriarchæ Ecclesiæ primi in s. literis sonori à me stant, si vel omni subsidio antiquitatis humanæ destituerer. Sacrosancta; biblica, ac cœlitus inspirata auctoritas meam conscientiam satis serenat & tranquillam reddit. Ex abundantia tamen tecum ad antiquitatis sinceræ ac religiosæ subsidia, non ejectus è præsidio bibliorum, sed sponte in hanc arenam descendo, audacissima tua mendacia ac insolentissimas provocationes palam confisurus, ut orbis ab hæc excoecatus, si velit intelligere possit, quos consuant dolos cœcorum magistri, cum antiquitatem crepant, quamq; hîc sint rudes qui alios

alios ruditatis suspectos habent? cujus intuitu, depræhendi fallere proverbium, *Inventa lege statim quoque fraudem esse inventam*; nam hæc serò nimis ac in ultimâ seculorum fece tartaròque excogitata est. De more antiquo non est disceptatio, sed de moris præceptivâ necessitate, hanc ego duobus argumentis demonstro, unum à maiorumque pharetrâ; alterum fulmen è cathedrâ, ut ajunt, Apostolicâ te reddet attonitum, & ab ore Leonis sc. & Gelasii.

Primum sic habet. *Omne id quod Univerſa Ecclesia ſervat, traditio eſt Chriſti & Apoſtolorum.* Comuniò, ſub utraq; eſt id quod ante noviffima Synodorum decreta, Univerſa Eccleſia ſervavit. Ergò! Majorem aſſerit Bellarminus l. 4. de Verb. D. c. 9. Minorem non inficiantur Tridentini ſeſſ. 21 c. 2. *Licet vero inquit, ab initio Chriſtiana Religionis non infrequens utriusque ſpeciei uſus fuiſſet.* Et Bellarminus l. 4. de Euch. c. 26. §. *Reſpondeo. Si tempore Cypriani habuiſſent Laici jus petendi calicem, certe habuiſſent ex conſuetudine illius temporis.* Mos in omnibus ſæculis antiquioribus teſtatur, loquitur, clamat, in primo ſecundoque ſeculo Clemens conſtit. libris injungit & Clericis & Laicis, *ut poſtquam oblatum fuerit, accipiant ſinguli per ſe ordine Dominicum corpus & pretioſum ſanguinem, etiam mulieres velato capite quemadmodum decet, accedentes.* l. 2. c. 61. t. 1. Concil. p. 76. Ignatius Martyr in epiſt. ad philadelph. *εις η̄ ἀρτῶ, τοῖς πᾶσιν ἐθρῦσθι. η̄ ἐν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθι.* diluta ſunt quæ regerit Bellar. l. 4. de Euch. c. 26 alibi confutata in Chriſteide act. 1. p. 286. Tertull. in l. 2. ad Uxor. c. 6. *De cuius manu, inquit, deſiderabit, de cuius poculo (utique euchariftico) participabit?* Pamel. τὸ de manu, ad ſacramentum pertinere ſcribit, quidni & de poculo ſacramentali? Cyprianus, quomodo ait. l. 1. Epiſt. 2. *docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſiâ poculum Domini jure communionis admittimus?* & l. 2. Ep. 3. *Quidam, inquit, vel ignoranter vel ſimpliciter in calice Domini ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc faciunt quod Chriſtus fecit vel docuit.* pulveres à Bellarmino his locis aſperſi, diſſipati ſunt in Chriſteid. act. 1. p. 391. ore verè canoac aureo Joh. Chryſoſt. hom. 18. ad c. 8. poſt. ad Corinth *non ſicut in veteri lege partem quidem ſacerdos comedit, partem verò populus, nunc ſecus ſe res habet; omnibus corpus unum proponitur & poculum unum. Ea, quæ ſunt Euchariftia, communia ſunt omnia inter ſacerdorem & populum.* & mox ib. *Huc porro cuncta à me dicuntur, ut unus quisque etiam ex his, qui ſubſunt, ad vigilet, illudque intelligamus nos omnes unum corpus eſſe,*

esse, tantumq; duntaxat inter nos differre, quantum membra à membris differunt: ac promde committendum non esse, ut omnia ad sacerdotes reiciamus. Augustin. l. 3. qq. super. Levit. q. 57. Si illud sacrificium V. T. unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum, & usus tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo ~~non~~ ^{non} ~~sed~~ ^{sed} nemo prohibetur, sed ad bibendum potius oportantur, qui volunt habere vitam. Theodreti in Com. 1. Cor. II. Dominicam Cœnam vocat Sacramentum Dominicum: illius enim omnes sunt aequè participes, & qui in paupertate degunt, & quibus divitiis spiritus faciunt, & Domini & servi, & Principes, & qui eorum parent imperio. Oportebat ergo & mensas communes esse, & imitari dominicam, quæ est omnibus ex quo proposita. Ambrosii in Theodosium invectiva descripta à Theodoro l. 5. c. 18. sic habet: Quis queso manus injustæ cæde & sanguine resperfas extendere audes, & iisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum ejus sanguinem ori admovebis, qui furore iræ jubente tantum sanguinis fudisti? Idem conficere licet ex historiâ de puellâ quadam apud Spond. ann. 434. 3. quæ ad altare ducta, perceptâ à Sacerdote Corporis Domini particulâ tinctâ, cum semihora mandens traicere non valeret, demum applicito salutari calice ejus gutturi, sacramentum quod ore gestabat, feliciter transglutivit. De seculis sequioribus vide D. Gerh. Conf. Cath.

Porro de Ecclesiâ orientali & græcanicâ res confecta est, Christi Ecclesia (ita Cassander de commun sub utraq; fol. 1025.) Orientalis quidem in hunc usq; diem, Occidentalis vero sive Romana, mille amplius annis continuis, non aliter quam sub duplici hac specie Sacramentum hoc administrasse legitur. Jeremias patriarcha fatetur communionem sub utraq; in eâ & moris esse & juris, in act. p. 129. nec tu illud diffiteris, In liturgiâ publicâ utramq; panis & vini speciem porrigunt; extra eam agrotis & fœminis & rusticanis hominibus non nisi panis speciem diserte & infantibus de sacro tantum sanguine guttulaminstillari tu quidem jactas sed non probas. Dilutum ac leve est quod de *αεγνια τρέφοις* seu præsanctificato pane absq; sanguine garris. Abulum illum (verius, quam usum) non negabo, quo in sextâ feriâ majoris hebdomadæ communicatio facta est ex præsanctificatis, sed nunc tibi probandum est præsanctificationem ad solum panem excluso omnino vino pertinere? eccur enim in plurali præsanctificata (sc. symbola utraq;) audiunt, non dicitur præsanctificatus sc. panis? Habes hic adversus te testantem, quem adducis, Petrum Arcudium, confitentem Græcos consecratum panem, sanguinem Domini quamvis leviter tingere, quem ritum quidem improbat idem Arcudius, at tuetur Leo Allatius. Idem Alla-

Allatius ad Canonem Laodicenum 4. ὅτι ἔδει τῆ πεντηκостаῖ ἄρτων ἀφο-
 φέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ, ἢ Κυριακῇ μόνον. Non oportere in Quadragesima pa-
 nem offerre, nisi Sabbato, & die Dominico tantum hæc notat in proleg. ad
 Naudæum p. 1531. Apud Græcos, præter hos dies in aliis, dummodo Annun-
 ciationis solennitas non accesserit, si missa celebranda est, non alia quam hæc τῶν
 ἀγγελιασμένων celebratur, in qua corpus Christi, die Dominico in missa confectū,
 absumitur. cum siquidem quilibet Sacerdos venturæ hebdomatis dies, quibus cele-
 braturus est, digitis ipse suis numerat; inde tot particulas panis in oblatione ab-
 scidit, quot missas dicturus est; eas cum particula eo diē absumenda consecrat, &
 consecratas, sanguineq; Dominico intinctas, uti moris est, conservat in pyxide; ex
 qua postmodum celebraturus tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium u-
 sum relictis, haurit, & in disco reponit, & in altare majus advectam consumit.
 & mox ib. p. 1535. Diximus particulas consecratas sanguine Dominico intingi,
 intinctasq; conservari: idq; ex præscripto Euchologi, usuque fere totius Orientalis
 Ecclesiæ, quæ hoc tempore non alio modo præparat. Morem quidem impro-
 bat Arcudius lib. III. cap. LVI. & rubricas in Euchologio, in quibus id
 præcipitur, expungendas esse censet, hoc modo Argumentatus. Vel id
 fit, ut habeatur sanguis Domini, vel ut habeatur per modum potus: si, ut habea-
 tur; frustra tingitur, cum in specie panis non desit sanguis, ut dicunt scholastici,
 per concomitantiam; unaquæq; enim pars separatim sumpta, effectum alterius
 cumulatissime præstat, & supplet: si vero ut habeatur per modum potus, frustra
 etiam intingitur, quia sanguis ille exsiccatur, & panis ille sic tinctus, non bibitur,
 sed editur; & cavendum, ne Græci putent, species panis, vel species vini, seorsim
 acceptas, non esse perfectum corpus Christi, & Sacramentum. Nos tamen disi-
 mus, inquit Leo, nullo modo Rubricam expungendam videri, sed usum antiquum
 illius Ecclesiæ, jam per omnes Ecclesias disseminatum, cum nec improbari nec da-
 mnari possit, omnino retinendum. respondet ibidem ad Arcudij instantiam. Nec
 declinas hunc ictum, cum illam sanguinis sacri infusionem negas à Græ-
 cis universim fieri, sed ab aliquibus tantum; satis est fieri ex generali
 motivo de necessitate sanguinis adjungendi. Tunc enim (ita Leo Allatius l.
 cit. ex præscriptis patriarchæ Constantinop. ad Paulum Hypopsephium
 p. 1538.) divinus Panis Sanguine tingitur, cum ex Anachoretis aliquis in montes
 se abdit, nec ad Ecclesiam accedit propter nimium erga virtutem studium, averque
 sæpius sacrorum particeps fieri, ob eam, quæ inde corporis & animæ sanctitatem;
 Panis divinus in pyxide munda huic delatus, divino Sanguine intinctus est. Vel
 rursus forte propter mortem advenientem, panis ipse toto Quadragesimæ tempore
 conservatur Sanguine tinctus, &, cum communionē opus fuerit, sive interdii sive
 nocte,

nocte, aliquo moriente, cum non sit sacrum, in calice pars panis iniicitur, & humidum aliquid immittitur, ut possit moriens assumere: quod vero injicitur humidum, à pane sancto sanctificatur. alio verò tempore, cum sacrum perfectum absoluitur, in sacro calice singulis diebus sanctificatorum particule conservantur, propter tum, cum minus expectamus, moribundos. Si vero depositorum opus non fuerit, mane à puero mundo jejunoq; absumentur. Cur ista? nisi quia sanguis necessarius putatur: alioquin morituris panis sufficeret non tinctus. addes panem illum longo tempore evaporare omnem sanguinis humiditatem: nec tamen vini sacrati tinctionem repeti, sed simplice tantum Baccho (en Loiolitæ Bacchanalia in ipsa quadragesima, qui opinionem nonnullis facere possit, quam nonnullis factum esse Augustinus memorat. l. 20. contra Faust. c. 13. nos propter panem & calicem, colere Cererem & liberum. sed nos, pergo cum Augustino, à paganorum Diis cerere & libero longè absumus) vel etiam lymphâ maceratam & emollitam sacramenti offulam morituris præberi. Hæc tu ex te sine omni auctore; nihil de his quamvis curiosissimus rituum græcorum scrutator Leo Allatius, Quis enim credat (lubet parodiâ quadam sequi Becanum in manuali p. 249.) vigilantissimos Ecclesiæ pastores qui in notandis & confutandis hæreticorum dogmatibus fuerunt diligentissimi, non notaturos fuisse hoc dogma de una specie, si putassent esse hæreticum. Proba quod jecisti. Vide Ordinem Romanum apud Cassandr. cap. 19. f. 132. Alcuinum de divin. offic. c. 18. qui vini meminerunt. Habes adversus te græcos auctores alios, Nicetam Pectoratum; Nos Græci inquit, sabbato & dominicâ die secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus Sanctus descendit super discipulos, immolantes, in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in totam hebdomata conservamus. In aliis autem diebus hebdomatis juxta tempus horæ nonæ, post lectionem Prophetarum, constitutas orationes à magno Basilio facientes, & munera transferentes appositionis altario, & orantes cum ipsis, insuper autem & traditam nobis à Domino orationem dicentes, exaltamus præsanctificatum panem, & damus præsanctificata sancta sanctis (τὰ ἁγια ἁγία τῶν ἁγίων, verba sunt liturgiæ) & unitis communionem panem & calicem mysteriorum Christi. Item, Nicolaum Cabasilam, expositione Liturgiæ cap. 24. ubi discrimen ostendit inter præsanctificatorum liturgiæ, usitatam; & inter τὰ δῶρα, quæ in hac & quæ in illâ inferri & proponi solita. αὐτὴ μὲν &c. Hæc in ipso ingressu habet dona non immolata & nondum perfecta; illa verò perfecta & sanctificata, & corpus & sanguinem Christi.

Quid

Quid tibi in mentem venit hæc cum lumina in te ardent? sed audi decreta pontificum quibus te sacramento addixisti, qui iussere sacramentum utraq; specie ab omnibus capi. Sic enim Leo M. Serm. 4. de quadrag. *Manichæi ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis huiusmodi homines & his manifestentur indicis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & prodiri à sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* intelligis ex hoc loco opinor Manicheomaniam esse, abstinentiam à sanguine Christi hauriendo! hoc indicio deprehendi acteneri, qui nunc sunt, Romanos; se à prisca fide ad manichæismum degenerasse, ac ideo sacerdotali auctoritate à sanctorum societate pellendos, excommunicandos esse non meo sed pontificis, neutriusquæ nunc est partis studiosi calculo. **ARIST.** At S. Epiphanius her. 66. & S. August. her. 46. ubi Manichæorum errores accuratè omnes recensent, de usu unius tantum speciei nullam faciunt mentionem. Et S. Leo Magnus diversis sermonibus ut 4. de Collect. & 5. de jejunio decimi mensis, nequitiam & hæresin Manichæicam Romanis, quò eam certius evitare possent, explanavit, nunquam tamen monet, in eo à veritate deflexisse, quod Eucharistiæ Sacramentum unâ tantum specie rectè sumi putarunt. **VERAUD.** Quando tandem cessabis è testimonio negativo sophisticari? Cyrillus Hierosolymitanus Catech. illumin. 6. de Manichæis in hunc modum loquitur & τοῦ μὲν εἰπεῖν τίτι &c. Dum proferimus, quæ in mysteriis suis peragunt Manichæi, os omnino polluimus. Non sunt Græci illis magis fædi: non Iudæi magis impij; non scortatores magis impuri. Manichæus in medio altaris, ut existimat, illa ponit, & linguam simul ac os inquinat. De hominibus, qui ad istum modum mysteria celebrarent, & Sacramentum penitus everterent, imò in execrumentum converterent, quid quæso, attinebat memorare, ab iis calicem non usurpari? Præterea Christianam religionem, quanta quanta est, Manichæi subtruebant, nullumq; ejus dogma, vel sacramentum integrum & intaminatum relinquebant, substitutis fabulis propemodum innumeris. Hinc Theodoretus: *Si quis vellet omnes nugas persequi, multis libris opus esset.* Et Cyrillus Hierosolymitanus: *Universas ejus sordes nec integro seculo exposuerimus.* Si tu rectè colligis hunc in modum. *Constat Manichæos suam Eucharistiam peragentes calicem non bibisse, nec propterea reprehendi: ergo licitum fuit non bibere calicem; ego non minus rectè sic collegero; Constat Manichæos calicem non consecrasse, nec à quoquam Veterum hoc nomine reprehendi: Ergo licitum fuit calicem non consecrare.* Pergo ad Gelasii

testimonium. Comperimus, inquit, quod quidam sumpta tantummodocorporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire. Vides, superstitione adstringi qui à calice sacri cruoris abstinent, mutilare integritatem sacramenti, immo divisione hujusmodi in sacrilegii categoriam incurrere. ARIST. Præceptum quoddam humanum à Pontifice Quiritibus ejus temporis datum esse facile video: at divini illic mentionem fieri, neq; pol oculis video neq; videre possim. VERAUD. Itane? Præceptum humanum à papâ Theopneusto? præceptum non divinum à papâ religioso, quo non actum aliquem adia-phorum sed divinum, sacramentarium, testamentarium suo consilio, sine divini præcepti intuitu definiisset? majori veneratione illa lumina suspicio, quam ut hæc hujusmodi illis ausa imputare velim, potestne in quenquam sacrilegii categoria justè cadere, qui præceptum sinaico divinum de non furando illibatum reliquerit?

Omne id cujus contrarium est interdictum divinum, est præceptum divinum.

Communio sub utraq; est id cujus contrarium est interdictum divinum.

E. Communio sub utraq; est præceptum divinum.

Majorem firmat inductio omnium legum divinarum negativarum. Minor hoc syllogismo (nequaquam umbratico) claret.

Omne sacrilegium est interdictum in septima Decalogi lege.

Divisio unius ejusdemq; mysterii communioni sub utraq; contraria est Leonis & Gelasii judicio, sacrilegium Ergo!

ARIST. Quasi vero non potuerit aliunde, quam ex talis præcepti transgressione, esse ea sumptio sacrilega? Gelasius non testatur sacrilegium in ea re per se consistere, sed in hæreticâ sumentium perfidiâ: quoniam inquit, nescio qua superstitione docentur adstringi. VERAUD. Quasi vero aliunde possit dici Homicidium quàm ex homine occiso? Quid est sacrilegium propriè nisi sacræ rei furtum? Ecquid sacrilegium aliud Manichæi patrarunt aut patrare potuerunt, dic amabo! ARIST. Tam tu historia Ecclesiastica & antiquorum temporum es rudis, ut istuc nescias. VERAUDAN. Id ego, si rudis nescio, collegam habeo Bellarminum, qui id æquè nescivit, nec de Manichæis exposuit l. 4. de Eccles. c. 13. sed sacerdotibus sacrificantibus. Walenburchii contra Hundium p. 77. hanc expositionem habent

habent pro certâ, tuum illud è Becano plagium pro probabili duntaxat, sed perge. **ARIST.** Plurimi Manichæi ex Africa exturbati Romam profugerant & quo nequitiâ inlatabrâre suam, & medios inter Catholicos clam esse possent, per sacrilegam hypocrisin ad consuetam cum cæteris fidelibus synaxin accedebant, & quod mysterium digni non erant oculis tueri, ore profano impie temerabant. Quia vero ex occulto hæresis suæ errore existimabant vinum non aliquam DEI facturam, sed fel esse cacodæmonis, & præterea fabulantur Christum non verè mortuum aut sanguinem fuisse, ideò calicem execrati, manum atq; os ab eo semper abstinebant. **En crimen, en causam, en sacrilegium.** **VERA UD.** Quis unquam audivit errorem mentis occultum, superstitionem, perfidiam sacrilegium proprie dici? sic enim verba paparum intelligo, neq; Bellarmino monitore, per fenestram ingredior cum per januam liceat: analogum per se positum stat pro suo significato principali: figuratæ obliquationis nulla est hic necessitas. Ecquis hîc sibi glavocomate fasci nove illudi patiatur, cum legat Gelasium clarissimè sacrilegii accusare (non errorem, superstitionem, perfidiam sed) **DIVISIONEM** unius ejusdemq; mysterii, sed perge **ARIST.** Quæ res cum ad aures Leonis Magni delata esset, pro concione populum fidelem commonefecit (nimirum sua majestate, sanctitate, beatitudine nondum indignum censuerunt concionari papæ, ipsi **PRÆDICANTES**) ut ex eo indicio deprehensas notarent & cautim caverent. Secundum eum autem Gelasius tum in munere tum in fidei ardore optimus successor, cum intelligeret, ea quam Leo constituerat ratione, Manichæos ab Catholicis non satis discerni posse, quod etiam ex hisce multi veteri Ecclesiæ more calicem arbitratus subinde non sumerent, legem sanxit, ut ne ulli deinceps Catholico fas esset à calice in synaxi abstinere, tum ut hæreticos detegeret arceretq; tum ut usu contrario nefandum eorum errorem refutaret. Ego vero vel ex hoc ipso totius negotij contextu, usum unius speciei tunc temporis usitatum licitumq; fuisse manifeste evinco. Nam Manichæi una solummodo panis specie communicando sperabant inter Catholicos latere se posse. Ergo communicatio sub una solummodo panis specie apud Catholicos infrequenti tunc usu fuerit. Quî enim putassent acutos Romanorum oculos effugere se posse, nisi in actione tam solemni, qualis est Synaxis, communi aut omnium aut certe multorum mori morem gessissent. Singularitate nemo unquam diu latet. Et qui facit, quæ nemo alius omnium statim digitis dictuq; sit scopus. Et quæso te, an aliquis Romano-Catholicus religionem Norimbergæ suam occulere, & Lutheranum fingere posset si una tantum specie Eucharistiam caperet! An non hoc indicio plus quam satis proditus apud omnes **Capista** audiret? Ita sane, si Romæ tam consuetæ & tam necessaria habita fuisset

utraq;

utraq; synaxios species, uti modo est Norimbergæ, minimè opus fuisset à Pontifi-
cibus aut populum commonefieri, aut utramq; speciem lege lata sanciri, ut Mani-
chæi eo argumento in vulgus noci fierent. Ipsa enim communionis in sucta inso-
lencia latibularios tenebriones abunde indicasset, Ergo quod Leo monuit & Gelasius
postea legem de utraq; specie rogavit, argumento est, unam tantum antea usita-
ram fuisse. VERAUD. Summa immanissimarum nugarum in aliquam
formam liquidata hæc est; Id fuit apud Catholicos usitatum, quod imi-
tantes Manichæi potuerunt tuto delitescere at usum unius speciei imi-
tantes Manichæi potuerunt tuto latere; contra usus geminæ speciei inter
Catholicos frequentatus Manichæos statim perdidisset. Respondeo
negando usum geminæ speciei inter Catholicos, statim potuisse Mani-
chæos prodere, quia potuerunt Catholicos decipere, libando quidem ca-
licem, sed vel nihil hauriendo vel haustum exputando; quæ instantia
etiam est à Vasquez i. 2. data, fatentibus Moguntinis in animadv. ad
Crocii anti-Becan. p. 302. (qui nihil reponunt, nisi subtile hoc esse respon-
sum. Verentur, ne plus habeat argutiæ, quam veritatis. nam Diaconus pronum
fuisse deprehendere dolum sacrilegum, si verò hausissent, quis crederet illos credidisse
vinum esse fel dæmoniacum? addunt. probabiliter Becanus colligit usum unius
speciei ex illo factò. Dico probabiliter, neq; enim Metaphysicas demonstrationes
afferre, aut evidenter comprobare debuit aut voluit. Resp. pronum fuisse Dia-
conos fallere, ut ex sequenti è Sozomeno historiâ patet, pronum conni-
vere Diaconos. deinde ipsam exputationem potuisse argumentum esse
opinionis de felle dæmonum: pronum subducere tunc Romæ, è Cassan-
dro teste, ex intervallo communicabatur calix, inde sumpto pane facile
se subducebant in magnâ frequentiâ ne calicem sumerent: Sicut nostri
hodie Peregrinatores, qui Romam adeunt, magna populi frequentiâ
utuntur ad declinationem rituum idololatricorum. Hinc fraus facilis.
Si dixissent se abstinere, tum fuissent facile agniti; non dicebant pa-
*lam, sic enim non occultassent suam hæresin, quam, Leone teste, *occul-**
tarunt, At quod abstinerent, id callidè celabant alios, quidni Manichæi
volentes latere, potuerunt utramq; speciem sumsisse sed vinum per mo-
dum ablutionis paulò post exsputatam, non per mod^o sacramenti? adde, si
quidam Catholicos libertate suâ ac adiaphoriâ usi, comunicassent sub una,
annon tunc sub illis Manichæi tuto latuissent? Esto, Catholicos liberè
abstinuisse, à calice Manichæos semper, igitur si quidam Catholicos ex
libertate semper abstinuissent, quomodo ab his Manichæi distingui po-
tuissent? quomodo Manichæi, etsi semper abstinerent, dignosci?
annon

annon examinati, cur abstinere à calice, respondere potuissent cum Catholicis, quia nunc ita lubet, & quia semper ita lubet. Satis de Leone & Gelasio.

ARIST. Plus quàm satis! perdidisti victoriam! nec aureum gestare baculum audeo. Nihilominus vir victus iterum pugnabit. *Certa tunc tantum speciei usurpata, altissimis ad fidam memoriam vestigiis impressa reperiuntur monumenta.* Solebant enim fideles Eucharistiam è templo ad edes privatas secum deferre & ibidem asservare, ut pro commodo deinde suo opportunè sumerent. Quosdam etiam procul in solitudinem asportasse, solationi futurum, ubi quæ animi cupido aut gravior necessitas incesset. Id vero in vino fieri nequè pronum nequè expediens erat. Quin adeo infantulis baptizatis de solo sanguine (cum panis degletioni haud quaquam apti essent) guttatim quippiam irrorabant pii majores nostri ut candidulas ab baptismo animulas cruore divino ad ornatum cœlestem miniarent. Testantur ista Tertullianus, Basilus, Clemens Alex. Cyprian. Hieron. August. aliique veteres. VERAUD. ô sagacem vertagum! cave tibi ab hoc cane, ô Baroni Actæon, qui quod tu factum olim sagiisti, minus pronum, ac expediens fuisse latrat. Audi molosse tuum Actæonem. Videmus Eucharistiam asservatam non sub specie panis tantum, sed etiam sub specie vini olim consuevisse recondi. Habes id quoque probatum auctoritate sancti Gregorii Romani Pontificis, dum ait in navi portasse navigantes Christicorpus & sanguinem hæc Baron. ann. 404. n. 32.

Claud. Espencæus l. 2. de Euchar. adorat. c. 1 fol. 1095. notat sacramentum in pixidibus servari solitum, & quidem sub utraq; specie; servari autem postmodum desitum Vinum, quia cito acescit; ut & panis quoque speciem servari diutius prohibitam, quod ea, licet seriùs, mucescat etiam. Fatetur & Paulus Laymann. in Theol. moral. l. 5. tract. 4. cap. 5. n. 140 quibusdam locis olim etiam morem fuisse sacrum sanguinem asservandi, ad egros sub utraq; specie communicandos, sicuti apparet ex Nazianzen. in orat. funebri in laudem Gorgoniae epistol. 5. Chrysost. ad Innocent. I. Papam, referente de tumultu excitato, cum Constantinopoli pulsus esset, Victore in lib. 1. de persecutione Vandala, S. Hieron. Epist. ad Ruffin. 4. ubi de Exuperio Tolosano Episcop. scribit: Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Sophronio in prato spirit. c. 48. S. Gregorius l. 3. dialog. cap. 36. ubi testatur, etiam mari navigantes corpus & sanguinem CHRISTI secum habuisse.

Cave tibi ab eodem ô Ecclesia! qui non duntaxat cubilia ferarum sed & fordes cubilium tam sagaciter sagiat. Tibine omnes veterum mores mori, sunt sacramenta Ecclesiæ? heu quot quisquiliis ecclesiam inundabis, si stat hoc argumento niti. Ab initio non erat sic, inquit Dominus! Constat ex epistola Dionysii Alexandrini ab Eusebio l. 6. c. 36. servata

presbyterum dedisse puero particulam Eucharistiae, deferendam Serapioni seni aegroto, ac jusfisse, ut eam prius madefaceret, quam seni porrigeret, ut ἀποβεβηκεν ἕννυ madefactam in os senis infunderet, an ideo panis eucharisticus hodie quoque vino tingendus? Fuit Eucharistia ita Claud. Espencæus l. 2. de adorat. c. 7. p. 1099. non in usum modo viventium asservata, sed & mortuis quoque data, adeoque consepulta. Sic enim Basilium, autor est in eius vita Amphilocheus, ejus consecrata parte reverenter sumpta, partem alteram secum sepeliendam reservasse, postremo sub vita finem, disposita sibi consepelire sumpsisse tertiam, quæ à Domino data ei fuerat, communionis & recumbentem in lecto gratias egisse. Sanior hic vetus Ecclesia fuit, quæ teste Durantio l. 2. de ritib. Eccles. c. 53. consuetudinem Eucharistiam domum ferendi seipsumque communicandi, quam persecutio infidelium, occlusio templorum, & inopia ministrorum olim fecerat, antiquavit. Hæc inquit Espencæus l. cit. c. 6. p. 1098. domum ex Ecclesiâ deportatio, domique asservatio, communicatioque, cum periculorum plena, & multis offendiculis, abusibus & scandalis esset obnoxia, cessante infidelium persecutione, ut causa cessavit, & ejus effectus, sublata & abrogata eodem, hoc est, Honorij & Arcadij Imp. Papæ autem Siricij aut Anastasij tempore. Idem abusus quoque in Infantes incidit, quos præter institutum Christi ad S. Cœnæ communionem admissos esse, & quidem non sine irreverentia (auctore Bellarmino l. 4. de Euch. c. 23.) constat; nec multo difficilius orbicula hostiæ iis immitti potuisset quam potuit villum. Sane Paulinus ep. II. ad Severum, cibum appellat qui infantibus datus est.

Circumdansque rudes festis altaribus agnos,

Cura salutiferis imbuit ora cibis.

ARIST. Tu vero unde nosti verba (Bibite ex hoc omnes) esse Christi verba? an ex traditione majorum tuorum & Lutheri? Unde vero Lutherus habuit? an ab Ecclesiâ Romanâ, an ex papæ unguis huius locum eripuit. Ergo si Papa non dixisset Lutheri ejusque assecclis, neque ille neque vos scissetis hæc verba: Bibite ex eo omnes: esse vera verba DEI & CHRISTI? veligitur Papa in hoc testimonio, quando vobis dixit & adhuc dicit, hæc verba, bibite ex eo omnes: esse vera verba Christi, est infallibilis vel non. Si non: ergo non estis satis certi & securi hæc verba: Bibite ex eo omnes: esse verba DEI. Si infallibilis tunc tu unâ cum præcepto tuo es occisissimus. Nam idem pontifex eademque Ecclesiâ Catholica, quæ vobis dicit ea verba: Bibite ex eo omnes: esse verbum DEI, etiam vobis dicit, verba illa ad solos Apostolos attinere, & nullum continere præceptum de utraque specie ab omnibus fidelibus sumenda. Quod si ergo ei infallibiter creditis cum verba ea proponit, cur non creditis cum illorum sensum explanat? Et si quidem Papa
ejusque

eiusq; Ecclesia à DEO infallibilitatem accepit ut verba sua nobis sine erroris metu tradat, cur non acceperit infallibilitatem, ut verborum suorum explicatum multò adhuc certius expediat? Annon potuit Deus utrumq; cum ad fidelium usum necessarium æque foret, concedere? Aut voluit unum benigna manu largiri, alterum vero, quo sine prius illud non modo inutile, sed & noxium futurum erat, negare? Certe hic teneris, neq; ulla extricabit Ariadne techna. VERAUD. Nullum hic video labyrinthum, sed meras araneorum telas, identidem recurrentes, facile difflabiles. Unde habeam verba intimata esse Christi verba, audivisti in superiori dialogo Battologe? vin' obtundi aures? scirem hæc esse verba Christi, si vel Lutherus nunquam natus, vel omnes papa fuissent muti. Cornutus tuus, ô Spinosule, hebetior est, quàm ut feriat: Fac papam traditorem esse fallibilem, non tamen ideo incertum est quod mihi tradidit. Tradat ille tuo collegio mille aureos, tunc dubitabis esse aureos, suspicabere cupreos, quia traditor falli potest ac fallere? habes domi lydium lapidem! Fac papam traditorem cum tradit esse infallibilem, num tamen quicquid ille post tradet, indubium erit? Tradiderit ille ante annos triginta, eo tempore quo chaos monetarium germaniam inundavit, tuo collegio χάλκεια ἀντὶ χρυσείων, mille cupreos pro aureis, tunc creduis esse aureos? Si Judaica Ecclesia à DEO infallibilitatem accepit, ut verba sua Christianæ Ecclesiæ (Melitoni e.g. Sardeni) sine erroris metu tradat, cur non etiam acceperit infallibilitatem ut verborum suorum explicatum, in Cabalâ, Thalmude, propositum multo adhuc certius expediat? potuit sane divina providentia Canonem benignâ manu tradere per Ecclesiam, multo benigniore ejus clavem nō uni soli, sed aliisq; voq; dono hermeneutico præditis Ecclesiæ civibus largiri: amplius est ac divinius beneficium quod in plures diffunditur, quam quod unius monopolio permittitur. Dulcius resonat concentus Doctorum plurium ad normam tabulæ prophetico-Apostolicæ amussitatus, quam fistula utricularis ab uno privato pontificis Spiritu juxta tonum moris, genii, status, curiæq; Romanæ inflata, quæ ipsa quoq; sensum ambiguum, æquivocum, incertum reddit. ex te enim etiam etiamq; scire velim, primùm, an in *Constantiensi concilio Laici fuerit interdictus usus utriusq; speciei, quis tunc pape & cōcilij sensus?* Indice Fr. Coriolano in *summa Concil. p. 861. sacerdotibus omnibus inhibitu fuit ne sub pœnâ ex communicationis ulli homini u-tramq; speciem panis & vini communicent.* At indice Wilhelmo Lindano in *panopl. Evang. l. 3. c. 56. p. 343. Iste Concil. Constantiensis verbis (liceat mihi quæso lector meum citra præiudiciū alicuius in medium veritatis*

indagandæ causa adferre arbitrium) haud equidem existimo uti vulgo dicitur utriusque speciei communionem tunc laicis prohibitam, sed defensam unius speciei communionem tunc antiquissimo ex more usitatissimam. Deinde hoc Constantiensi decreto nihil in Græcica, aut Orientali, aut Indiana, imo Septentrionali aded immutatum fuit Ecclesia, sicuti nec Patres tollere voluerunt utriusque speciei communionem, ubi antiquo vigeret more, imo ne Romanæ quidem Ecclesie consuetudinem in hunc usque diem observatam voluerunt variatam. Sicuti enim ille Ecclesie Orientales, & uti audio Dalmatiana, & quædam Septentrionales, nunquam utriusque speciei communionem intermiscere, sed maiori semper ex parte utramque sumpsere: ita & Romana Ecclesia prisca consuetudinis obtinet in hunc usque diem vestigiolum, ut sacris operante Pontifice maximo Diaconus veteri ex more non solum de hostiâ comedat, sed & de calice combibat. Narrant enim viri gravissimi, qui se suis vidisse aiunt oculis, Diaconum fistulâ cristallina de calice Domini sanguinem exugere. Sane Concilij Constantiensis voluntatem non fuisse utriusque speciei communionem tollere, aut semel omnibus laicis interdiceri, vel inde cumprimis liqueat, quod absoluto consilio Martinus ipse V. utramque legatur Romæ administrasse speciem: quod non de Diacono Pontificis ministro solum accipiendum est, sed & de populo. Testatur enim Reuerendus P. Henricus Kalty-sen Archiepiscopus Nidrosien. Martinum Romam reversum laicos sub utraque specie communicasse. Dic nunc, quis sit ille à te decantatus papæ sensus in verbis hoc facite &c. te indice verba illa ad solos Apostolos attinent, nullumque continent præceptum de utraque specie ab omnibus fidelibus sumendâ; non jubet Dominus absolutè facere, sed cum conditione si bibant, jubet in sui memoriam bibere. Indice, (v) Vasquesio concilii Tridentini à papa sc. informati hæc est sententia *Præcepit Christus illis verbis Luc. 22. sicut interpretatur Concilium, ut ipsa sumptione commemoremus passionem ejus, & non tantum, ut quoties illud sumeremus: nam qui præcipit, ut opere aliquo fiat commemoratio alicujus beneficii accepti ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam, ut fiat opus ipsum. Quis hoc non videat? Apollo vester hic est λογίας.* Rursus papæ decretum est, bonum spirituale (calicem eucharisticum) ad solos Clericos restringere, Laicis adimere. At (quæ instantia est (ξ) auctoris astri inextincti in negotio bonorum ecclesiasticorum translationis) quantumvis ejusmodi decretum à papâ emanarit, semper tamen præsumitur quod princeps rescribat secundum justitiam, nec velit auferre jus alterius præsertim si male sit informatus quasi nullum adesset jus alterius. ARISTOT. Heu! me enecas! cado occisissimus! por-rigo herbam,

(1)
tom. 3. p. 3.
disp. 213. c.
2. n. 10.

(ξ)
pag. 140.

ORECAN. Sta Sophie, ac audaciam pro muro indue, nolite vi-
 dum agnoscere! en tibi subsidiariam *παρεμβολήν*, quam ex ore Camilli
 Anagnostæ prælectam avidis auribus bibe, ut refocillere, ut respire.
 Hodie mane hinc Parisios abiit R.P. Alexander de Rhode &c. ARIST.
 ô nectarium refocillamentum! ô triumphum! ô templa nova, ô divina!
 VERAUD. Quibus nihil deest, nisi (quod de Hyperboreo Apollinis
 templo ex Abderit à Hecatæo memorat (o) Ælianus) concentus cygno-
 rum, cantoribus sacrificis admodulantium, illorum sc, qui jam jam mo-
 rituri

(o)
 I. II. varior.
 cap. I.

dulcia defectâ modulantur carmina linguâ,
 Ego his nil moveor,

Ipse tuos nobis relegas licet usq; gigantes;

rara, vel æterno proxima Virgilio.

ARISTOT. Ergone tibi hæc *παρεμβολή* ex Antichthonum orbe
επιβολή videtur? VERAUD. nimis simplicem mulum esse oportet,
 qui omnia ferat, quæ illi Institores ex novo orbe apportant, fama quæ è
 longinquo advolat ficti veri q; ferax, minus erubescit. Dabo tamen
 nullum amplius in orbe esse animal callidissimum, quia nullum Loioli-
 tarum oculos fugit; nosti responsum Alexandro datum à Gymnosophi-
 stis, quodnam animal omnium esset callidissimum? Id ait quod nondum ho-
 mini cognitum. Dabounum illum testem Alexandrum de Rhodes Ale-
 theæ litasse. Quomodo id in rem tuam?

ARIST. Sic ergo credis tot hominum myriadas à Iesuitis sacro fonte tinctas
 ad Christi fidem ac religionem indies adduci, tot urbes & regna vastissima Ecclesiæ
 Romano-Catholicæ eorum opera adici, tot deniq; tamq; insignes viros ex eorum-
 dem numero, fidem quam lingua a q; ore libero prædicant, cruore etiam suo &
 nece inter acerbissimos cruciatus obita obsignare? Scilicet dum vos super illo: bi-
 bite ex hoc omnes: insana ciētis prælia, & commentitio utriusq; speciei sumenda
 præcepto animas Christianorum evertitis, illi aliâ Christi voce: Ite in orbem uni-
 versum, prædicare Evangelium omni creaturae baptizantes eas: exciti, totis se ef-
 fundunt agminibus, & innumeram infidelium multitudinem fide ac religione
 Christi imbuunt & quæ vos damna Ecclesiæ infertis, centuplicato animorum pen-
 sare fœnore allaborant. Hic est geminus ille Apostolorum veterum spiritus, in
 sola Romano-Catholicâ Ecclesiâ constanter huc usq; usu conservatus. VERAUD.
 Quid audio? Estne spiritus Apostolici sine alis volare h. e. sine lingua-
 rum charismate linguas exoticas demereri? nam quæ de Xaverio jactan-
 tur à Th. Boziol. 6. de sign. Eccl. c. 5, Corn. à Lap, ad Act. 2. p. 77. con-
 stant.

stant non nisi *οἰκονομῶν* allatis testimoniis? Estne Apostolicus spiritus, qui ignaros ac invitos baptizat, teste (π) Acolta? Apostolorumne spiritus

(π) l. 6. de procur. Ind. salute p. 521. confer violentam tractationem Brachmanum allegatam in Alatheia S. p. 149.

qui exterorum curâ susceptâ, incurius est domesticorum, necessariorum, Germanorum lue hæreticâ (quæ vestra est calumnia) infectorum; ordinatæ charitatis alia est ratio. Quid diceret, si peste ingruente medici civitatem desererent ac aliò aufugerent ad medicinam faciendam non adeo difficilem ut domi? quo nomine illos profugos notares? fasne perdere Mauros ut lucrere Indos? fulminare in lapsos, & ni stupeant, ad gentes abire? non sic Christus Dominus, qui ovem perditam Israelis hæreticâ scabie infectam prius quæsivit, quam canes, ut post tot haberet pastores foras emittendos ad ovile augendum, quot invenisset ac sanasset oves: non sic Petrus Judæorum Apostolus: non sic Paulus cujus solennis est vox, *Judæo primùm & græco*. Si Thaumandri estis in Japoniâ noviq; orbis plagis, este in Europâ; errore inflatos erroris manifestos facite; cæcos illuminate, sole non igne; configite non ore gladii, sed gladio oris; auferte è propugnaculis Jebusæis cæcos & claudos, fucatos nimirum (quæ vestra est accusatio) scripturæ sensus, rationis commenta, superstitionis sannas; vincite argumentis Ecclesiam vestram unicè veram esse; probate hæresin prius, tunc accusate: conscientias ad *αὐτοκατάκριτον* usq; pervincite. si perviceritis, myriades animarum sua sponte ad vestra vota fluent, sceptro veritatis nemo facile gravis est futurus, ipsa veritas conciliaturam dictabit, triumphabit mendacium, ac erecto signo, accurrere dicet: humanum fuit, ab hominibus, ibi natis, ubi errari solet, confictum, quod hæctenus in vestra secta pro oraculo adorastis. Interea malum à vobis tractari ut infideles, ut *οἱ ἕξω*, quam ut hæretici; ac iis rationibus tractari quibus in Japoniâ soletis barbarâ cum Apostolicè agere vultis; neq; nos magis ac illi, Episcopi Romani, & Ecclesiæ Tridentinis placitis imbutæ, obnoxii sumus, Porro cur Apellarum nulla præ barbaris cura, è quibus decumanum orbis malum Antichristus aliquando erumpet; nonne prudentius hoc ostium obstrueretur quam exoticum effingitur? Cur segnior sollicitudo de Mahometanis liberandis à Corani deliriis, ad ovile Christi revocandis, præ Americanis? in promptu causa est: illi deseruntur à suis, ut vocant, Episcopis titularibus h. e. relatis sine correlatis; nautis sine navi,

navi, pastoribus sine grege? quia piger dicit *Leo est foris*: hinc quaeruntur minori periculo. Facilis descensus ad Indos, quibus nihil adhuc de artibus Loioliticis innotuit, at hinc Rhodus inter nos est, hinc saltate! Tota quidem mappa geographica est adversaria ac materia charitatis exercendae: primas tamen deposcant nostri Consanguinei Germani, secundas Europaei reliqui, tertias Apellae ac populi Mahometismo infecti, postremas gentium postremae, barbari. Apostolorumne spiritus qui maria terrasque circum ambulat ut faciat profelytos, factos facit filios gehennae duplo magis quam sunt ipsifactores? Felicior quidem profelytus Pharisaeorum fuit cum jus ad regnum foedusque DEI accepit, nactus copiam lucis, h. e. s. literarum (e quibus dogmata suorum magistrorum pharisaeorum ad examen revocaret) legendarum, ac plenioris ab occultis Judaeis qui a fermento Pharisaeico animas suas defecarunt, hauriendae informationis: at si tunc duces caecos caecus per omnia secutus esset, infelicior fuisset quam pridem adhuc inconversus, atque cum suo duce in foveam cecidisset, Luc. 6. 39. c. 12. 47. 48. Eadem est ratio conversionum papaeorum. Apostolorumne spiritus est, qui regno tenebrarum damna per Evangelii novissimam & ac vespertinam auroram, illata, centuplicatis animarum necibus compensat? Apostolorumne spiritus est qui vino venena, bono femini admiscet zizania triticum suffocantia, cum novalia in rure ethnico excitat?

Alias Thraasonismos tuos non duntaxat suos facere potuit Sathan, Jezabel, Judaei (ρ) Ariani qui e priscis nidis depulsi alibi larga examina effuderunt; sed & (σ) Nestoriani (τ) Mahumetani, quorum religio-

(ρ) Freculphus in Chronico tomo 2. lib. 4. cap. 20. refert ab Arianis tempore Valentis Imperatoris totam gentem Gothorum a Paganismo ad fidem conversam. respondet Bellarminus l. 4. de Eccl. c. 12. p. 341. *non ab Arianis Gothos esse conversos, sed misere deceptos. idem ego de vestris conversionibus haut temere suspicor.*

(σ) Apud Georgium Hornium de orig. Americ. l. 4. c. 15.

(τ) Mahumetani, inquit Bellarminus l. 4. de Eccles. c. 12. p. 340. *traxerunt quidem multos, sed terrore armorum, non vi & effacacia doctrina. Quare ipsemet Mahumetus in Alcorano c. 18. & 19. docet bello cogendos homines ad fidem.* Idem Hispanicæ in Americæ conversionis genius fuit.

nes in Cataia Sinis, Americæ, jam olim ante natos Loiolitas invaluere. Eandem martyrii aureolam iidem sunt aucupati & reportarunt Ariani ac hos inter *Marcus Arethusanus* (cujus conversionem potius fingit quam probat Spondanus) quos Ecclesia inter Martyres recenset, teste Spon-

no an-

non 362, n. 34. Facilius est martyres jactare quam probare ac digito ostendere. supplicia vident omnes, at causas suppliciorum pauci mortaliū, quas delineare pennā Episcopali malo, quā meā. Quid est periculosius, dum isti zelotypi imprudenter concitant populos contra Reges, ipsos quoque Reges compellunt, ut Religionem Catholicam odio habeant; nam dum sibi à tali *Ἐπιτομή* obtractatoribusque suis subditis esse metuendum vident, quotquot suspectos habent, omnes à se amovent, quo securius vivant. Si vero eorumque prorumpit audacia, ut etiam personam Principis offendat, naturali defendendæ vitæ jure constrictus Princeps injuriam vindicat, & in omnes sine discrimine Catholicos sævit, quos doctrina tali ad consurgendum & conspirandum contra se obligari cognoscit. Manifestum istius rei exemplum apparet in Anglia, ubi Principes dum sibi à subditis suis Catholicis timent, eorum vires imminuunt, succisis ipsorum potentie nervis, nempe Episcopatum & Abbatiarum amplis censibus; & dum se per insidias undique peti advertunt, eos à quibus sibi cavendum esse existimant, anxie persequuntur, præveniendoque periculum è suis Regnis ejiciunt. Videri etiam possunt Regine Angliæ Elisabethæ edicta, in quibus Galliarum recentibus casibus nempe Regis Henrici III. & Henrici IV. à subditis suis pene exauthoratorum se terreri conqueritur, & nunquam nisi novis aliquibus contumeliis seu insidiis deprehensis exagitata, severius in Catholicismum inquiri ac animadverti mandabat. In Suecia quoque Gustavus Rex cum à Catholicis, quod invaserit alienum Regnum & uti hereticus impugnatur, eos depressit, & Archiepiscopi Upsalensium ac reliquorum Ecclesiasticorum potentiam quam formidabat enervavit. Quod autem recentius, in viciniore Belgio hoc anno cum Archidux Ernestus gubernator Belgii tractandam cum Hollandis pacem proponeret, illi in responso ad ejus literas, & Legationem nihil magis exaggerabant, quam insidias & venena Regine Angliæ Elisabethæ, & Henrico Regi Galliæ præparata, Vrania Principem Guilhelmum per summissos sicarios toties petiit, & tandem extinctum, Mauritium eius filium ad necem requisitum, & alterum juniorem Philippum Vilhelmum Lugduni Batavorum literis operam dantem subornat à fraude in Hispaniam abreptum. Acciderat autem quod sub illud tempus Michaelem quendam Reinichonium Sacerdotem Namurcensem Hollandi intercepterant, qui in vestitu militari in Hollandiam veniens, jussu Ernesti Archiducis & Comitum florentii Barlaumontii, Mauritium Principem, ac quosdam primarios Hollandiæ interficiendos aliqua arte in se cum alijs sex socijs qui subsequerentur, susceperat; hocque in tormentis examine sæpius repetito fuerat confessus, & tandem Hagæ Comitum supplicium capitis propterea tulit. Hæc omnia vernaculo vester historicus Paulus Piasecius isque Episcopus in Chron. gestorum in Europa. p. 125, hinc illæ sanguinæ Garne-

Garneti & complicum lacrymæ ! Nemo per vos certus est suæ salutis, quomodo certus alienæ, quomodo Martyricæ coronæ in aliis extra se ? Martyres sunt, juxta (v) Thomam, sancti, utriusq; sexus qui pro Christo, adeoq; (v) etiam pro virginitate ad honorem Christi tuenda, seu alia virtute quacumq; in- apud Tan- ner. tom. 2. disp. 4. dub 3. n. 28. fusa; ad Christum veluti finem relata, etiam in casu precepti ad hoc obligantis, voluntarie, rite dispositi, aut vitam actu laudabiliter profuderunt, aut certe vulnus seu tormentum ex se mortiferum sustinuerunt, esto per accidens ex tali tormento non sint mortui. Quis tam Argus ut in singulis à te celebratis martyribus talia perviderit, ut in iis fuisse jurare audeat ? ante canonisationem papæ de nemine certum est an fuerit vere sanctus ? Canonisatio papæ incerto nutat. Quem ipsum etiam Pontificem in questionibus factis, adeoque in iis, in quibus ab hominum aliorum testificatione pendere necesse habet, errare posse, concedit (e) Bellarmin. An enim Papa de mortui salute esse certus potest, de qua homo ipse, dum viveret, certus esse non potuit ? an scire (e) aliorum beatitudinem Pontifex potest, qui suammet nescit ? Faustum l. 4. de R. P. cap. 12. hereticum scribit Spondan. ad ann. 520. n. 7. inter sanctos à martyrologio Gallicano numeratum. Quis omnia ferat, quæ martyrologi olim & panegyristæ imposuere ? nosti querelas infideliter ab antiquo traductæ Martyrum historiæ apud Baron. in Martyrolog. p. 3. Tradita sunt quedam à majoribus nostris (non tua sed veri Aristotelis vox est l. 2. Metaph. c. 8. t. 51.) & admodum antiquis, ac in fabula figura posterioribus relicta quod hi dii sint. Multa fabulosa ad multitudinis persuasionem & ad legum, ac ejus, quod conferat opportunitatem, jam illata sunt. Idem Aristoteles negat felicem esse æstimandam Rempublicam, quæ πολλὸν ἀρχίᾳ studet, quæ vincere docet, & finitimis dominari l. 7. polit. c. 14. Hoc rationis dictamen approbavit Augustinus à Bellarmino allegatus l. 1. de Rom. Pont. c. 9. §. quia tamen. feliciores fore res humanas, si essent ubiq; parva regna concordie vicinitate letantia, quam si unusquisq; regum per fas & nefas imperium suum extendere & propagare contendat. Quid igitur agunt Alites Indicarum animarum helluones ? Unam è notis suæ Ecclesiæ ruunt, Felicitatem.

ARIST. Cedò aliquem tuorum qui convertendis ad fidem paganis operam unquam similem navavit ? Quis, vestrum, Oceanum navigavit, maria ignota tranavit, distas gentes cum periculo capitis adiit ? &c. quis ad postem vivus lubensq; pro IESU Christo flagravit ? quis ex pedibus patibulatus Martyr obiit ? interea video vos specioso abusu tollendorum & reformanda religionis pretextu, omnem omnino Christianam religionem evertere & amoliri.

VERAUD. Abusus cum se sustulisse nostri majores dixere (X) latine sunt locuti, ac per abusus religionis ejus consumptionem, intellexerunt ad reli-

(X) Veteres (ita Corn à Lap. notat ad Ierem. 18. p. 685) abuti sumebant pro consumere. Audi Catonem de Re Rustica c. 76 Donec omnem caseum cum melle abusus eris, id est, consumpseris, quasi abuti sit plenè re uti usq; ad ejus consumptionem. Plaut. in Trinum. Me qui abusus sum (id est consumpsi) tantam rem patriam. Terent. in Prol. Andr. Nam in prologis scribendis operam abutitur. id est, Consumit & perdit Plautus in Asin. Vbi quæ dedi antè & abusa. Nam si ea durarent mihi, mulier mitteretur ad te.

qua respondi in Aletheas, ad Indos excurrere nostrates non debuisse, quia quod agerent domi satis habuere; vix illis à laboribus respirare licuit, occupatissimis, hinc ut reedificarent templum, illinc ut armis defenderent à vicinis Samaritanis: *non potuisse* ob ostium illis clausum feritate immani, justitiæ defectu, exoticarum linguarum imperitiâ, commeatus inopiâ. De feritate Acostræ locus in Aletheâ productus est. incidit nunc alius ex Argonaut. Bisselii l. 2. p. 48. *Ludus illis (Canibalibus sc.) & jocus est, humana carnis dapes inire: nec distinguunt, recentes an salitas? ad ignem desiccatas, an crudas? dummodo glutiant & vorent.* De ostio fidei clauso, si ferro aperiendum sit, idem Acostræ testatur. nec cavillantur, qui ore Petri de Victoriâ Hispani illius Jasonis aurei velleris gratiâ, Argonautarum, ducis, conqueruntur apud Bissel. Argonaut. l. 15. pag. 447. *violentis armis nullo belli jure, subactum & huius & alterius America, vastum imperium: direptas populorum fortunas; exactos necatosq; reges aut nullis, aut quæsitissimis ex iniquo causis.* Linguarum peritiâ pro sufflamine habet (↓) Alexander de Rhode. Adde nunc non omnino aut defuisse aut deesse voluisse ac velle nostrates *auxiliis cum precibus*, Quid enim jugi precatione primum à DEO benignissimo poscimus nisi *ut ejus à nobis, inter nos exterosque, nomen sanctificetur, inclarescat, cumque sole paria faciat spacia; ut adveniat regnum DEI*, eo modo quo panis depluit non otiosis, nemini per ventos in sinum assa columba venit. (Non deest mortalibus in singulos propitium Numen. At nec numini homo deesse debet: cæci sunt barbari ad Christum Regem in Bethleemico antro quærendum, stellam tamen habent in pectoribus obscure licet lucentem, Sacrum sc. paradisi lipsanum, qua excitentur ad chiragogos quærendos & per hos ad verbum ac salutaris lucis indaginem; non possunt olfacere fragrantissimum Evangelii odorem, fama tamen è S. literis passim gentium, si non per Christianos saltem Iudæos, miranda DEI Providentia sparsos, de eo qui plus est quam Salomon aliquid vel invitis vel

(↓)
Hist. Tun-
chin. l. 2.
c. 1.

vel inadvertentibus ingerit, quo percellantur ad Regina Sabæ comitatum. Non audiunt eloquia Domini, audiunt tamen suaves de DEO vero, ac divinis eloquiis susurros: incurrunt vel cæci in naturæ cytharam, hæc de aulâ sumi regis canit, ad quam qui studio contendunt qui ad hæc sacra è mari hinniunt, tubicinia inveniunt cœlesti habitu afflata) *Vt fiat voluntas DEI* à nostris Magnatibus qui auro obices effringant h. e. gymnasia erigant perdiscendis exoticis, linguis quæ barbaris essent familiares, idonea, quodque Gregorium XV. Pontificem Rom. fecisse accepimus instituisse gymnasium Germanorum, qui Romæ instructi seductos domi cives in gremium Ecclesiæ, ut vocat catholicæ reducerent, Construunt iidem: ut mercatores ad extremos Indos currentes Christophori columbi esse malint quam Chrylophori Coloni, mallentq; aurum, margaritâ Evangelicâ mutare. Si votis nostris non respondet eventus, Celestiarum culpa non est sed surdorum. *Tum nuncio literarum* S. è prælo alatarum, in vasis papyri, ac ut vertunt LXX. ἐπιστολῶν βιβλίους allatarum (ω) Esa. 18. v. 1. non deesset emittendi voluntas, si non defo-

(ω) Quem locum multi ex Hispanis scriptoribus ad expeditionem in novum orbem eiusq; conversionem per Hispanorum prædicationem & arma conferunt hæc Sanct. ad l. cit. pag. 187.

rent columbæ literigerulæ. *Denique votorum ac desideriorum communicandi cum illis* qui Romam advolare dicuntur è feris gentibus legati, si per phalarismum Tiberinum liceret. nam (αα) & hic modus est famæ de verâ fide sanctæ latissime deportandæ.

(αα) Quærit Casp. Sanct. ad Jerem. 23. quomodo Propheta obire potuerit regiones spacio diffitas, neq; in Iudæorum nomen sic animatas, ut homo Iudæus inter illas versari sine periculo potuerit Respondet id multis modis fieri posse. Fortasse, pergit, in urbem illam regiam ex omnibus provinciis multi convenerant, negotiandi gratia, aut alias ob causas, quæ in magnorum Principum curiis agitari solent; aut certè in Azymorum, Pentecostes, aut Tabernaculorum feriis, in quibus mandatum istud à Domino Jeremia accepisse potuit, propinatus est gentibus calix iste, religionis causa eò confluxere: sicut Actorum 2. ad festum Pentecostes gentes eadem, atq; aliæ magis à Iudæorum finibus submotæ convenisse traduntur. Quilicet Iudæi essent genere, domo tamen Arabes erant, Ælamitæ, ac Medi, Ægyptii &c. & multo plures magisq; remoti, quam hîc commemorantur. Hic ergo in uno loco propinari potuit calix iste, ut cum in suas sibi sedes remigrarent, docerent cives suos, quid ad nationes illas in mandatis à Deo Jeremias habuerit.

ARIST. Quicquid sit, stat! in papæa Ecclesiâ manere. non possum non cœtu vestro deserto toto animo PARTI Romano Catholicæ firmissimè adherere. In eâ Ecclesia mori volo ad quam & à qua omnes gentes converti video, in

h 2

cujus

cujus doctrinâ instituuntur Brasili &c. ad cuius gremium convolant Tonquineses, adspirant Conchinenses, properant Sinenses, cuius capiti, magnus ille Sinarum Monarcha, recens à Iesuitis initiatus, & sacro baptismi Christiani latice perfusus, legatione Romam adornata sponte se sua subdit. VERAUD. Nihil restat, nisi ut quartâ coronâ, è quartâ mundi parte, mactetur tuus ille Herus, sed heus! ô Sinarum Monarcha, dulce nimis fistula cecinit, quæ te imprudentem decepit. O si scires unde ducerere, quò, ad quem? nulla te illecebra volonem fecisset. E summa potestate non regni solum sed & mentis ac libertatis exivisti, in cœcum ergastulum, Simsonicæ moletrinae; in epulum Damoclaeum cui precario imperaturo ensis quot horis immineat, sanguinis è basilicâ venâ sitibundus ac si halitum, è S. literis illuminator h. e. papæ iudicio hæreticus factus, liberio-rem ducas, in regni temporalis exuvias, non solius ecclesiæ relegationem; peiori quam privati sorte usus, quem fulmen excommunicatorium solo ecclesiæ, non civitatis bono privat, immò ni imperata cuncta feceris, in lanienam. Colligas licet has conclusiones ex iis quæ sequuntur præmissis. Papa potest mutare regna, & uni auferre, atque alteri conferre, tanquam summus Princeps spiritualis. Si id necessarium sit ad animarum salutem, potest infirmare leges principum. Si aliqua Lex civilis sit necessaria ad salutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere, aut si noxia animarum saluti, & tamen Reges non velint eam abrogare. Si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni, potest spiritualis Respubl. imperare temporali Reipubl. sibi subjectæ, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes, atq; alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri. Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresin, nec ne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis, quando Reges, & Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, ut sceptrâ sua subiiciant Christo, & polliceantur se Christi fidem servaturos & defensuros, etiam sub poenâ regni perdendi: ergo quando fiunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesiâ judicari & etiam deponi à principatu, nec ullâ eis injuria fiet, si deponantur. Nam non est idoneus Sacramento Baptismi, qui non est paratus Christo servire, & propter ipsum amittere quicquid habet. Cum retro dictum est: Pasce oves Ioan. ult. data est illi facultas omnis, quæ est Pastori necessaria ad gregem tuendum, at pastori necessaria est potestas triplex nimirum: Vna circa lupos, ut eos arceat omni ratione qua poteris;

rit; Altera circa arietes, ut si quando cornibus ledant gregem, possit eos reclu-
dere & prohibere, ne gregem alterius precedant, hæc omnia tradit Bellarm. l. 5.
de R. P. c. 8. Disce ô Rex serenissime, quàm sit periculosum (ββ) secu-
rim in te quercum armasse. Unde si ex animi sententia veteris hymni
non duntaxat metrum sed & sensum corrigere voluisset ingeniosus alio-
quin Lyricen Urbanus VIII. è Barberinorum familia pontifex, hunc in
modum corrigere debuisset,

Herodes ô Rex provide, Christum venire nunc time;

Ille eripit mortalia cum Regna dat cœlestia,

(ββ) In sylvam amplam & confertam venit olim securis ferrea, jam tum inermis atq; in-
tractabilis, apud quercum sacram ac proceram, quæ Iovis ipsius jussu reliquis dominaba-
tur arboribus, conqueritur, in sylvâ densa ac umbrosa multa succrescere virgulta inutilia &
noxia, multos truncis adnasci ramusculos exsuccos ac putridos, inde aliis non modo um-
bram gravem sed & cariem imminere, nisi has arborum pestes ferrum coerceat. se quidem
his amputandis operam suam libenter præstituram sed manubium non habere, quo ad i-
ctum dirigatur; petere itaq; à domina quercu, sibi unum largiatur ramulum; illa ad pur-
gandam sylvam sibi subditam, haud ægrè dat etiam suo de corpore brachium. Hoc instru-
cta securis primo minorum dein mascularum arborum morbis occursura multos hinc in-
de furculos, ramos ac stipites ferro abscissos flamma vindice vertit in cineres. Tandem
causatur in ipsa sylvæ domina nō modo ramos reperiri distortos ac gibbosos, sed & ipsū ro-
bur tabescere, vermiculo occulto medullam ac radicem depascente; illam quercum nuper
sacram non jam fertis & coronis, non veneratione, non arborum imperio, sed planè di-
gnam ruina ac incendio, atq; ita in truncum ipsum, unde modo brachium precario com-
modatum cepit, aciem vertit, quercum vulnerat, prosternit, comburit, ex illo sc. tempore
plerisq; in sylvis non quercus ferro, sed quercui ferrum dominatur, ac ad ipsum caput se-
culare decutiendum, vel saltem concutiendum adhibetur brachium seculare, brachium
inquam emendicatum, ut fieret teli spiritualis manubrium.

Futilissimam fictionē, quâ idem (γγ) Bellarmin^o Barclaio conatus est illu- (γγ)
dere, aliâ lōge justiore ac magis rationabili remuneratur (δδ) M. Anton. l. contra
de Domin. Si Rex ô Generose Sinarum scire aves ad quem legatos ador- Barel c. 24.
nasse diceris, qui pigros illos oscularētur, ait Sanct. quo (εε) obsequio nihil (δδ)
1. 6. c. 10. n.

(εε) Casp. Sanct. ad Esther 13. p. 359. Hoc enim (pedes osculari) ejus est, qui victū se fatetur ab
altero aut qui aliū superiorē agnoscit, aut illius se potestati ultro submittit. Sane osculari ter-
ram ab alio calcatam, aut os admoveere pulveri, cui aliorum sunt impressa vestigia ejus est,
qui extromam experitur fortunam & qui cum honore, & dignitate libertatem amisit.

vilius & abjectius excogitari potest. audi non me, qui parti meæ studere
videri possem, sed Avto Aristotelem (cujus qui hic astat, ridiculus est simi-
us) in majore propositione characteres ab Adamo Conzenio agnitos l. r.
polit. c. 16. concinnantem; attende ad annales Ecclesiæ, & hinc minorē

confice, & conclude; tunc cogita cujus politia sis municeps factus, & quo te laqueo indueris? Characteres Tyranni sunt 1. 5. polit. c. II. I. Virtutum simulatio. Tyranni est simulare ut regia gubernatio videatur, vult enim videri communium commodorum curam habere, praecipue eum videri oportet ipsum erga religionem Deorum affici vehementer; minus enim formidabunt populi, ne quid contra justitiam fiat, si religioni deditum illum existimabunt, ac Deorum timorem habere: minusque contra illum audebunt insurgere quasi DEOS habeat propitios & faventes. debet poenas & animadversiones per alios infligere, per magistratus videlicet & judicia. 2. Optimatum sublatio. Tyranni est τὸς ὑπερέχοντας κολύειν, καὶ τὸς φρονιματίας ἀναρπῆν bonos viros persequi, quasi pestiferos & adversarios dominationis suae, non solum quia non acquiescunt in servitute vivere, verum etiam quia fides eis & inter se, & ab aliis plurima adhibetur, neque accusant alios, neque ipsi inter se accusantur. 3. μισθοδουλίας inductio per κατασκόπους ποταγωγίδας, ὠτακυσὰς, παρησίους proditores, delatores. debent enim satellites eius apparere semper, ac versari foris, quominus latere possit quid quisque agat, assuescantque animum submittere per servitutem continuam. Et ne lateant conari, quacunq; quis dixerit aut fecerit, sed esse exploratores. quemadmodum Syracusis hi qui traductores nuncupabantur & auricularii, quos submittebat Hieron. ubicunq; foret congregatio aliqua, vel conversatio, παρησιάζοντα ἢ ἥπρον, βοβέμενοι τὸς τοιούτους. 4. ἀδυναμία περὶ γυμνάτων. omnia enim instituit ad ocium, ad quietem populorum tollendam, & ad inducendam paupertatem per tributorum pensionem ut etiam Syracusis factum est. Dionysio enim eam civitatem tenente, contigit Syracusanos in quinque annorum tempore cunctas facultates suas in solvendis tributis consumpsisse. Studet etiam bellum concitare tyrannus, ut negotiis occupentur cives, & indigentia ducis continuo detineantur. 5. Commissio subditorum diffidentiam alendo, ejusdem est πανταφουλάπειν ὁ δὲν εἰωθεγένησθαι δύο φρονήματα τε καὶ πίστις h. e. omnia cavere, unde consueverit oriri inter cives intelligentia, & fides. Et neque scholas, neque conventus aliquos scholasticos fieri concedere; & omnia facere: ex quibus cives inter se quam maxime incogniti sint: cognitio enim fidem generat inter ipsos debet enim committere amicos cum amicis, & plebem cum nobilitate, & divites inter se ipsos, & subditos ad paupertatem redigere, tyrannica est pravitas, ut neque sumptus fiat in custodia, & illi quotidianis molestiis occupati vacare non possint ad consilia contra tyrannos ineunda. 6. Hominum malorum promotio servorum sc. & adulatorum, demagogorum, illi ὁ κόλαξ ἐν πικρῷ, ἐστὶ γὰρ ὁ δημαγωγὸς τὸ δῆμα κόλαξ. Id autem nemo faceret qui mentem haberet libero homine dignam: sed amant boni viri, vel non adulantur, & utiles pravi ad prava: clavus enim clavo, ut dicitur proverbium.

bium. Nullo quidem honesto, nullog, liberodelectari, tyrannicum est, se enim so-
 lum esse talem, putat tyrannus: oportet non tyrannicum sed tanquam patremfa-
 milias & regem esse putari ab illis, qui sub eo sunt, nec pro secup:entem, sed pro
 communis utilitatis cautelâ & cura, & mediocritatem in vita sequi, non excessus.
 Præterea egregios viros per familiaritatem sibi conjungere, plebem vero ac multi-
 tudinem per favorem & gratiam in obsequio retinere. Insuper moribus talem ef-
 se, ut vel recte se habeat ad virtutem, vel semibonus quidem sit, & non malus, sed
 semimalus. adde ad commodum proprium collineationem. Tyrannidem e-
 nim esse dicimus dominatum unius ad proprium commodum intendentis Arist. l. 3.
 polit. c. 6. hæc omnia sunt pro dominatione retinenda l. 5. polit. cap. 11. Da-
 nunc soli quærendum hujusmodi aliquem hominem ^{caucus} licet, ta-
 men palpabis. 1. Virtutis ac religionis simulachra invenies in spectosis
 Paternitatis beatissimæ ac Maternitatis Ecclesiæ Catholicæ titulis; in
 Cerimoniarum figuris, piarum fraudum coloribus reconditis; in status
 tuendi sophismatis omnibusq; adeo Ecclesiæ notis fucatis; in manibus
 eorum qui Pilato tradunt, quem mactare ipsi sanctimonix figurâ pro-
 hibentur. Docent omnes Catholici hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos,
 posse ac debere ab Ecclesia reiici, & à secularibus potestatibus, (quibus à Clero
 traduntur, ut Christus à Sacerdotibus Pilato, nos enim, ait Valerius Ma-
 gnus in judic. de acathol. & cathol. Regælip. 285. indecorum valde existi-
 manus si sacerdos habeat manus maculatas humano sanguine, tamen si justa seve-
 ritate effuso) temporalibus pœnis atq; ipsa etiam morte mulctari ita Bellarm. l.
 3. de laic. c. 21. 2. Optimatum sublationem invenies in catalogis expurga-
 toriis pro quibus hæc effutire est ausus Gretserus l. 2. de Jur. & mod.
 proh. libr. nox. c. 9. & 10. Si quid aliorum in libris dispangitur, id Ecclesiæ jussu
 dispungitur. Ecclesiæ inquam illius, quæ non modo in libros auctorum, sed &
 in auctores ipsos jus & arbitrium habet: ac proinde, cum boni communis gratiâ,
 aliquid obliterat, in crimen falsi minime incurrit: quia non falsat aliena, sed scri-
 pta suorum expurgat, ut sine detrimento legi queant. Ius hoc semper & est, &
 fait & erit, penes Ecclesiam, ut qui gregi detrimentum adferunt, solcite amoli-
 antur. Et si integrum librum proscribere fas est, fas etiam erit proscribere
 partem libri seu magnam seu parvam: Eum excindendo, delendo, obliterando,
 vel simpliciter omittendo: idq; ob lectoris utilitatem: item invenies in fulmini-
 bus excommunicatoriis ad Regicidia usq; sævis. 3. μικροψυχίας inductio-
 nē in inquisitionibus ac delationibus, cælestibus sc. armis quibus παρρησία
 tremefacta, inq; veneni metu. 4. ἀδυναμίαν πραγμάτων invenies in expedi-

pedi-

peditibus cruciatis inauspicatis (sic M. Rutilius apud Liv. l. 7. *nervos*
conjarationis eiecisse dicitur, quod per speciem militarium usuum, exer-
 citus aliud misisset: Lacedæmonii Helotas sibi suspectos misere in lon-
 ginquam militiam cum Brasidâ, apud Thucid.) In armorum sacrorum h.
 e. bibliorum ereptione, in minis castigationum, si quid principes pecca-
 rent in genium illius curiæ. Exempla producit Gretser, l. i. spirit. Athlet.
 c. 7. p. 56. & seqq. Hac de causa Romæ pœnitentiarium Pontificis gesta-
 re virgam tradit Corn. à Lapid. ad Matth. 4. p. 112. & 16. exemplum ad-
 ducit duos Henricos hac parte minimè *Secundos*, Imperatorem alterum,
 alterum Regem Angliæ, qui hujusmodi disciplinas subiere. 5. Commissio-
 nes principum ne in damnum Domini consentirent invenies in exemplis
 priscis *Tantum* (verba sunt Cluver. p. 49.) circa annum Christi 1198. prin-
 cipum *dissensio emolumentum attulit curiæ Romane, ut exclamet equalis eorum*
temporum Abbas Urspergensis: Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiantur
cataractæ thesaurorum in terra ut ad te confluant rivi & aggeres mummorum in
magna copiâ. Iucundare super adjutrice tua discordiâ, quæ erupit puteo infer-
nalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes, quod sem-
per fitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam reli-
gionem orbem vicisti. Ad te trahit homines, non ipsorum devotio, aut pura con-
scientia sed scelerum multiplicum perpetratio & litium decisio, precio comparata,
 in bellis principum contra principes excitatis, Rudolphi Suevi & Filii
 Conradi in Henricum Imp. Philippi Regis Hispan. in Carolum Filium.
Ducti Martini ab Azpilcueta Navarr. Doctoris sententia: non posse ab Rege, absq;
gravi animæ noxâ, negligi salutem regni: negligi autem Carolo abire permissio.
hinc Religionis populorumq; conservationem sanguine suo præhibere voluerit; con-
cedumq; propterea se, filium sibi unicum ea ratione propemodum sacrificare; ne,
quibus affluebat à DEO, beneficium nimis quam ingratis responderet. Ita Fami-
 nus Strada l. 7. de bell. gall. decad. 1. 6. Hominum malorum inepto-
 rumve promotionem dummodo scenæ genicq; serviant, in aucupiiis & la-
 queis honorum, regnorum mundi, tanquam in monte ostensorum ado-
 raturis. de Lolitarum Generali Joh. Mariana in l. de reg. societatis Jesu
 hæc prodit, *Generalis in eligendis officialibus, non curat, quod sit or sui q; talen-*
tum aut dotes eminentiores, sed quam bene secum aut cum provinciali suo con-
formetur: quæ causa est cur homines viles & abjecti animi officiis præponan-
tur: quæ à superioribus duci se sinant, ut nervi alienis mobile lignum. 7. Col-
 ligationem ad commodum proprium, in rigore contra rigorem, refor-
 mandæ

mandæ curiæ Romanæ per rationem status, fieri non potest, ut conde-
scendat Pontifex, Tridentina Sanctio novum jubeat examen; præstat
omnem germaniam curiæ Romanæ immolare, quam obliqua in ordi-
nem redigi.

I nunc pseudostagirita, missa esto! Ego scopuli instar nequicquam
tuis è simpulo fluctibus excitatis allisus, immotus persto in Petra Chri-
sto sacris literis revelato: nullus me Mundi splendor dimovebit. Fuit
olim (cum tuo Spondano dicam, ann. 476, 2.) *universus Christianus Orbis*
sub hæreticorum Principum Dominio constitutus, nullum penitus Catholicum Re-
gem alicui saltem exigua provincia dominantem habuit. Etenim Italiam Rex
Arianus Odoacer dominio occupavit: Gallias itidem Principes Burgundiones & Go-
thi, iidemq; Arianæ, & Franci adhuc Gentiles partiti sunt: Hispaniæ pariter
Gothos Arianos dominos patiebantur; Africa Wandalos aq; Arinos; & univer-
sum orientale imperium Zenonem Eutychianum hæreticum. At manet inquis
ib. terra cæloq; firmior divina promissio, qua portas inferi, vim omnem satanicam,
adversus Ecclesiam minime prævalituram Dominus pollicitus est. Si quædam in
hoc Elencho acerbius dicta alicui videbuntur, is pro æquitate sua cogi-
tabit, cum puppato aliquo histrione Pseudo-Aristotele verba fuisse com-
mixta, quem in hoc Amphitheatro orbis Teutonici Alethea jactavit,

— ut impositas taurus in astra pilas.

Tu interea Sophe larvate, in orcum tuo demerito ac Æaci decreto reci-
dive, ito, unde negant redire quenquam. Etenim: Is Aristoteles cujus
fides tota nititur paralogismis, atq; hinc destitutus est fide divinâ, verâ ac
supernaturali, ex Æaci decreto est in orcum recidivus, nunquam am-
plius ex orco remissibilis. Tu is es Aristoteles, cujus fides tota nititur pa-
ralogismis, quæ pugnat contra adversarios meris itidem paralogismis;
destitutes fide divinâ, vera ac supernaturali, Ergo Tu es in orcum re-
cidivus ac ex Æaci decreto nunquam amplius ex orco remissibilis.

Propositio prior est ipsissima illa tua, quâ tibi has hæctenus tam ab-
surdas inflasti, inflate! Nosti quæ tibi abeunti mandata dederit Æacus,
ut ne absq; ea fide ad se redeas? divina sc. qua sine nullus Acheronta vitat, quaq;
sine, nemo omnium hominum homo ad campos Elysios unquam uspiam adspirare
potis. Si postidea denuo ad furva Proserpine regnum reveneris, per Styga, a jebat, (22)
juropereq; Lethæos lacus, nunquam me te reducturum amplius. Non si me Tartarus in dialogo
ipse jubeat aut Magnus Pluto. Dux ille tuus Oreanus (22) alibi monuit one præ-
Absq; fide, & divinâ quidem, & verâ, nulli ad æterna beatitudinis portum venire senti tem-
fas esse. Item Quicumq; non amat DEVM, amore nimirum fini congruente, id pori op-
est. fortunap.
est 4.

est supernaturalis, non potest indipisci Deum, & finem beatitudinis superna turalis. Atqui, qui non credit fide divina, non potest amare DEVM tali amore. Ergo qui non credit fide divina, non potest indipisci DEVM, & finem beatitudinis superna turalis. aut fide divina credendum nobis est, aut pereundum. Assumptio hæc- nus ex utroq; dialogo patuit. Fides vera divina ac supernaturalis esse nequit, quæ I. radicata non est in principio infallibili; quæ fidei Apo- stolicæ contraria est; in qua omnia incerta sunt ac tenui pendentia filo. Jactas te Catholicum; At ne quidem scire potes te esse baptizatum cum id pependerit ex intentione Ministri. Putas te valde devotè adorare Christum in hostiâ consecratâ; At liquidò scire non potes factam esse consecrationem, tum quia id pendet ex intentione sacrificuli, tum quia ipse sacrificulus nescit an habeat consecrandi potestatem, & num Epis- copus à quo se putat ordinatum, habuerit intentionem faciendi ex ipso vel asinum clitellis ornatum, vel Presbyterum in Ecclesiâ? Adhæres Concilii Tridentini decisionibus; Sed nescis an Patres illi legitimi fuerint: Episcopi, aut cur plurium suffragium, ex quo conclusiones factæ sunt, de- beat præferri suffragiis reclamantium, qui utut numero pauciores, po- tuerunt tamen esse judicio sapientiores. Confugis ad Papam; Sed nescis annon forte sit intrusus per Simoniam, & num revera fuerit Papificabi- lis? Fides deniq; tuta esse nequit, quæ Catholicos à dubiâ DEI gratia su- spendit. Vnde B. Aloysius Bertrandus (teste Bellarm. l. 2. gemit. Columb. c. 11.) Vir not a sanctitatis, non semel inventus est plenus singultuum & lacrymarum: & cum ab eo quæreretur, quanam esset causa tanti mæroris & tam ingentis proflu- vii lacrymarum? respondit, cur non amarissime fleam, cum non certo sciam an æ- terne salutis compos sim futurus.

Ito igitur malis avibus per lubricos pontes, auritis Arcadibus fata- les, ad cymbam è qua pridem huc appulisti, deducte ab illo felici Ana- grammatastro, cuius nomen transpositum sonat ORECANUS, SEU CARON. de naulo trientali non opus providere: inter (nn) Hermoni- enses vivis! prosequetur te remigrantem unde veneras, epita- phium corpori sepulto inscribendum, Hic jacet.

Aristoteles

EX ORCO REDIVIVUS, at heu! RECIDI- VUS IN ORCUM.

(nn)
Alex. ab A-
lex. l. 3. ge-
nial. c. 7.



*Præstantissimo Domino Respondenti,
Amico per dilecto.*

L Gnatiana fracta sunt acumina:
Sophos nec omne fluxit in Lojoliã:
Vivunt in orbe qui pudere turgidos:
Docent Thraſones: Unde venit, nunc credit
Larvatus ille Græculus! nixus tuus
Laudandus est, mi WESSERERE; Veritas
Te, quam tueris masculè, tuebitur.

F. hujus exercit. Præses:

H Oc nempe restabat tibi, merito tuo,
CORNÆE, Cornute ô Pater, lepidum caput,
Atræq; cõrtis, mentientis nomina
Tremenda IESV, cura (si Diis placet)
Non pœnitenda, hoc, hoc erat tibi super
Post plaustra tot mendaciorum, tot logos,
Tot captiosas Sycophantiæ strophas,
Nugasq; inanes, atq; aniles fabulas,
Ut (quis putasset?) te duce atq; interprete,
Inusitato exemplo, ab Orci faucibus
Rediret in vitam Pelasgorum Sophus.

Qui:

Qui, postquam ineptè & diriter manu à tuâ,
Tuæq; gentis, vapulasset in dies,
Vobis patronus tempore adsit & juvet.
O facinus egregium, o probum! Neq; enim aliter
Virum decebat. Flectere haud superos potis
Acheronta vult movere. Sed dum parturit
(Miser!) Cyclopem, nanus ipsi nascitur,
(Tantum interest inter Sophistas & Sophos
Aliterq; olent, CORNÆE, catuli, aliter sues)
Nisique stulto sistitur morus sophus,
Cumanus asinus, eruditis se suâ
In aure prodens, dignus ut pœnas luat,
Rigidiq; sceptrâ pædagogi sentiat.

Quæ cuncta, dum politiorq; & sanctior
Camena docti WESSERERI perspicit,
Cernitq;, quot furie atq; larvæ agitent Senem,
Corde ingemiscens, ore sic fatur pio:

Næ, næ, Orcus es, CORNÆE, totus Orcus es!

Eximio Domino M. Respondenti
L. M. Q. f.

M. PAULUS FINXIUS.

F I N I S.

ULB Halle
007 375 344


3



VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

OTELES
REDIVIVUS,
HEU!
S IN ORCVM.

CORNÆO Lojolita
rudenter æquè ac im-
productus.
SECUNDUS,

MEM
: MAX: AVSPICE
Præsidio

DI DANNHAWERI,
ris ac Professoris, Patroni,
oris plurimum
erandi,

N I Disquisitioni
bjiciet
ES WESSERER
STANUS.

embr. Tempore
solitis.

TORATI,
ENRICI MITTELI,
OC. LIV.

